INSTITUTIONES
THEOLOGICÆ

QUAS

IN USUM AUDITORUM SUORUM

COMPOSUIT

FRANCISCUS IAVARONE

IN REGIO ARCHIGYMNASIO NEAPOLITANO THEOLOGIAE DOGMATICAE PROFESSOR, ACADEMIAE HERCULANENSIS ARCHAEOLOGIAE SOCIUS ORDINARIUS, HERCULANENSIUM VOLUMINUM INTERPRES.

TOM. I.

NEAPOLI,

EX REGIA TYPOGRAPHIA.

CIƆIƆCCCXXIV.

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

Ne longa praefatione Lectores morer, quid me ad has Institutiones conscribendas induxerit, qua illas methodo disposuerim, paucis expediam. Quum studiosi quidam adolescentes, qui meas praelectiones audiebant, ut eas scripto traderem a me petere pene quotidie non cessarent; quin eorum desiderium explerem, ultra facere non potui. Illud etiam accessit, quod in Regulis ad rectam studiorum in hac Universitate normam constituendam sapientissime editis, singulis Professoribus, ut ea quae docent typis mandent, praescribitur. Nullus igitur, qui duo haec,

quae me diu multumque dubitanten
ad has Institutiones concinnandas tan
dem impulerunt, animadvertet, su
perbiae, vel temeritatis notam mih
iure inuret. Auditores vero meos
quod ipsorum desiderio, officioqu
meo quantum in me fuit satisfacien
dum curavi, bono animo accepturo
non dubito. Interea methodum, qu
Institutiones ipsas disponam, accipite

Omnis Theologica doctrina me
quidem iudicio triplex est. Unun
genus quod stricte pertinet ad Fidem
et cui opponitur haeresis; alterun
quod ex primo ratiocinationis vi de
ducitur tam aperte, ut in eo adfir
mando omnes omnino, vel pene omne
ορθοδοξοι Theologi consentiant; tertiur
quod positum est in variis catholi
corum Theologorum de eadem r
sententiis. In tres partes igitur quae

vis Theologica tractatio recte dividitur; altera catholicam doctrinam exponit, apertisque verbi divini tum scripti, tum ore traditi testimoniis confirmat; altera Corollaria (1) quaedam, quae ex catholica doctrina derivant, complectitur; tertia denique quaestionum, quae, fide salva, habentur, pro diversa sententia rationes aperit, atque declarat. Tali igitur methodo in hisce Institutionibus exarandis usus sum. Quum vero omnis, quae ordine suscipitur, de aliqua re institutio debeat a definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id, de quo agitur; in quovis tractatu

(1) In Corollariis quandoque doctrina iam demonstrata magis magisque enucleatur; quandoque vero quid ex doctrina ipsa praecipue inferendum sit, exponitur.

primum omnium doctrinae de qua sermo est definitionem, totiusque doctrinae ipsius, quam tractandam aggredior, veluti delineationem quamdam exhibere; deinde ex duplici Dei verbo ab Ecclesia Catholica custodito, atque explicato selectiora argumenta ad doctrinam iam expositam comprobandam afferre; praeterea quaedam ex demonstrata doctrina deducere Corollaria; postremo quidquid in ἀδιαφόραις quaestionibus alicuius momenti est, in medium proponere operae pretium arbitratus sum. Atque huiusmodi est uniuscuiusque Tractatus distributio. Omnium vero series, ni fallor, recte procedet, si hac ratione componatur. Primum scilicet locum sibi vindicant duo veluti totius Theologiae prolegomena; alterum quod de Theologiae dogma-

ticae, vel potius universae revelatae doctrinae, cuius illa pars est, indole, necessitate, veritate, eiusque addiscendae utiliori methodo tractat; alterum quod ad ipsius Theologiae dogmaticae fontes, qui vulgo Theologici loci appellantur, cognoscendos ducit. Duabus hisce tractationibus, quae quasi Theologiae ianuam φιλοθεολογῳ aperiunt, praegustatis, eius, ut ita dicam, sacrarium ingredi licebit; ac primo Deum ipsum, deinde Opera illius, non alia luce, nisi ea quam ipsa Veritas homini divinitus revelata emittit, contemplari. Quum ergo Deus sit natura unus, trinus autem personis, eiusque opera alia Naturae ambitu concludantur, alia totam Naturae sphaeram longe superent, atque ad Ordinem Gratiae proprie dictum pertinent; rectam Dogmaticarum tractationum divisio-

nem eam esse quisque iam facil intelliget, ut primum de Deo uno et trino, deinde de rerum Creation seu de Opificio sex dierum, postrem de Gratia, prout operum omnium su pernaturalium ordinem significat, aga tur. At quia Deus ipse totum Gratia ordinem ita ab aeterno disposuit, u per Verbi sui incarnationem, et me ritum, scilicet per Christum, *pe quem maxima, et pretiosa nobis pro missa donavit* (II. Petr. I. IX.) praedestinati gratiam, Sacramenta gloriam adipiscerentur; ita erunt dein ceps Tractatus disponendi, ut pos iam dictos tertium occupet locun Incarnatio, ubi etiam de B. Virgine et de Sanctorum cultu atque invoca tione sermo erit, quartum Sanctorun praedestinatio, quintum Gratia stri ctiori sensu accepta, sextum Sacra menta, septimum altera Vita.

DE

THEOLOGIAE REVELATAE

PRAESERTIM

DOGMATICAE

INDOLE, NECESSITATE, VERITATE,

EIUSQUE

ADDISCENDAE UTILIORI METHODO.

INDEX

Scriptorum (1) qui de theologiae dogmaticae, vel etiam universae revelatae doctrinae, indole, necessitate, veritate, eiusque addiscendae utiliori methodo fusius pertractarunt.

De revelatae theologiae necessitate, ac veritate.

Philo Iudaeus, et Ioseph Hierosolymitanus in Testimoniis de I. C.

S. Iustinus in duplici Apologia, Adhortatione ad Gentes, et in libello ad Graecos, ceterisque eius operibus.

Tatianus in libro adversus Graecos.

Athenagoras in Legatione pro Christianis.

(1) Vetitos Auctores, qui de proposita materia uberius scripserunt, signo notavi, ne sine debita Ecclesiae venia consuleret imprudens Lector. Quidquid enim Catholicae Romanae Ecclesiae legibus, ac doctrinae vel minimum adversatur, odi ac detestor.

Theophilus Anthiochenus in Institutionibus ad Autolycum.

Clemens Alexandrinus in Libro Commonitorio ad Gentes.

Tertullianus in Apologetico adversus Gentes, et nonnullis aliis eius operibus.

Origenes in libris contra Celsum.

Magnes ad Theosthenem.

Minucius Felix in Octavio.

S. Cyprianus ad Donatum, de Idolorum vanitate, adversus Iudaeos.

Arnobius contra Gentes.

Lactantius Firmianus in Institutionibus Divinis, ceterisque eius operibus.

Firmicus Maternus, de Errore profanarum Religionum.

Eusebius in Praeparatione, nec non Demonstratione Evangelica, et contra Hieroclem.

S. Athanasius contra Gentes.

S. Gregorius Nazianzenus in Orationibus Steliteuticis contra Iulianum, in Carmine ad Nemesium, et in Arcanis.

S. Basilius in Hexaëmeron.

S. Gregorius Nyssenus in Apologetico.

S. Ambrosius, de Vocatione Gentium, in Hexaëmeron, et Epistolis 29. et 31.

S. Paulinus in Carminibus, et Epistolis.

S. Ioannes Chrysostomus in Demonstratione quod

Christus sit Deus, de S. Babyla Antiocheno. Homilia quarta de laudibus Pauli, in libro adversus negantes Providentiam. De Prov. Dei. De resurrectione mortuorum.

S. Augustinus contra Academicos, de Ordine, de Utilitate Credendi, de Vera Religione, de Consensu Evangelistarum contra Porphyrium, de Civitate Dei, de Moribus Ecclesiae Catholicae. De 83 quaestionibus.

Theodoretus, de curandis Graecorum affectibus.

S. Cyrillus Alexandrinus adversus Iulianum.

Nemesius Emesenus, de Natura hominis.

Paulus Orosius in Historiarum libris VII.

Aurelius Prudentius adversus Symmachum.

Cassiodorus in Divinarum Institutionum libris.

Salvianus, de Providentia.

S. Ioannes Damascenus, De Orthodoxa fide, et in Disceptatione Christiani, et Saraceni.

S. Anselmus in Monologio, et Apologetico.

S. Thomas in Summa contra Gentes.

Gennadii Scholarii Opuscula.

Euthymii Zigabeni Panoplia.

Thomas Campanella in Atheismo triumphato.

Thomas Bozius de Ruinis Gentium.

Nicetas Coniata in Thesauro Orthodoxae fidei.

Augustinus Steuchus de Perenni Philosophia.

Ioan. Franc. Picus in Examine vanitatis Gentium, et veritatis Christianae Disciplinae.

Hieronymus Savonarola in Triumpho Crucis, Dialogo Spiritus et animae, Dialogo rationis et sensus.

Ioannes Ludovicus Vives, de Veritate fidei Christianae.

Suarez, Defensio fidei Catholicae contra sectam Anglicanam.

* Benedictus Pictetus in Dissertationibus Theologicis.

* Christophorus a Capite fontium adversus libertinos, impios, et atheos.

Thomas Stapletonus in Demonstratione methodica principiorum fidei.

* Ioannes Tillotson in Sermonibus.

Gilbert de Choiseul de Plessis Memoires touchantes la Réligion.

* Philippus a Limborch, De Veritate Religionis Christianae.

Iean Colere, La verité de la resurrection de J. C. contre B. Spinose.

Le Mine, les Temoins de la Resurrection de J. C. contre Voolston.

* Ditton, la Réligion prouvée par la Resurrection de J.C.

Segneri, *L' Incredulo senza scusa.*

* Buddeus in Programmate de Origine gentis Hebraeae et in Historia Veteris Testamenti, et Dissertationibus Miscellaneis.

* Moise Amyralde, Traité des Réligions contre ceux qui les extiment indifférentes.

Daniel Huetius in Demonstratione Evangelica, et in Quaestionibus Anetanis.

* Georgius Bullus.
* Hugonis Grotii, De veritate Religionis Christianae.
Blaise Pascal Pensées sur la Réligion.
* Iacques Abadie Traité de la Réligion Chrétienne.
Fénélon, Oeuvres Philosophiques, et lettres sur divers sujets de la Réligion, et de Metaphysique.
L'Abbé Houtteville, la Réligion prouvée par les faits.
Muratori, De ingeniorum moderatione in Religionis negotio.
Ludovicus Vincentius Gotti, De Veritate Religionis Christianae.
Cardinal Gerdil, Opere.
Valsecchi, Opere.
Nonnotte, Oeuvres.
Bergier, Oeuvres.
* Robertus Boyle, Scripta varia de religione.
Iosephus Rossi, de Veritate Religionis Christianae.
Gauchat, Lettere Critiche.
Giambattista Noghera, Opere.
Tamagua contra Necker.
Barruel les Helviennes.
Spedalieri, Dritti dell' Uomo.
Della Torre, Cristianesimo stabilito, Caratteri degli increduli, Teopompo.
Berthonie, Oeuvres.
* Warburthon Oeuvres.
Alessandro Tassoni, La Religione dimostrata e difesa.
Conte Alfonso Muzzarelli, Opuscoli.

* Addisson, sur la vérité du Christianisme.

Principes de la Foi.

L' Abbé Gérard, Egarements de la Raison.

M.r Duvoisin, Demonstration Evangélique.

M.r de Malvin, Evêque de Lion, Instruction Pastorale.

M.r l' Abbé F. De la Mennais, Essai sur l' Indifférence en matière de Réligion.

M.r Laurentie, Introduction à la Philosophie, ou Nouveaa Traité de l' origine et de la certitude des connoissances humaines.

DE DOGMATICAE THEOLOGIAE INDOLE, EIUSQUE ADDISCENDAE UTILIORI METHODO.

S. Gregorius Nazianzenus in Oratione I. de Theologia.

S. Augustinus, de Catechizandis rudibus.

Laurentius a Villavicentia, De recte formando studio Theologico 8. Antverpiae 1565.

Commentatores in D. Thom. I. P. Q. I.

* Henricus a Diest. De studii Theologici ratione.

* Stephanus Gaussenius. De studii Theologici ratione, et de natura Theologiae.

Hieronymus Osorius. De vera Sapientia.

* Christophorus de Capite Fontium. In Disputationibus.

Ludovicus Carbaiali. De restituta Theologia.

Ludovicus Carbonius a Castraciaro. Introductio in S. Theologiam.

* Osevaldus Fischerus. De vera studendi Theologiam ratione.
* Ioannes Schonerus in Disputatione de natura et essentia Theologiae.

Ioannes Ludovicus Vives. De tradendis disciplinis, necnon in Introductione ad Sapientiam.

* Franciscus Baço de Verulamio. De augmentis Scientiarum.
* Raynaudus in Erotematis de bonis, et malis libris.
* Lucas Flecaltius in Synopsi methodi Sanctae Theologiae.

Muretus in Orationibus.

Pelbartus in Rosario.

* Erasmus in Methodo ad veram perveniendi Theologiam.

Possevinus in Bibliotheca selecta.

Petavius, aliique Theologi in Prolegomenis.

Mabillon. De Studiis Monasticis.

L'Abbé de Cordemoy Méthode dont les SS. Peres se sont servi en traitant des Mystères.

* Iacobus Thomasius de Theologia Scholastica, et eius initio.
* Christophorus Heumannus in Praefatione praemissa operi Tribeccovii De Doctoribus Scholasticis.
* Christophorus Pfaffius in Introductione in historiam Theologiae literariam.
* Buddeus in Dissertatione de cultura ingenii, et in Isagoge historica-Theologica, necnon in Miscellaneis Sacris.

* Ioannes Henricus Heideggerus, De ratione studii Theologici.
* Augustus Hermannus Franchkius in Methodo studii Theologici.
* Ludovicus Ellies Dupin in methodo studii Theologici.
* Ioannes Owenius in Theologumenis.

Honoratus a S. Maria in Considerationibus super regulis, et usu critices.

Caput I.

Theologia revelata definitur, atque in suas partes distinguitur.

§. I. Theologia revelata est *rerum, quae ad Deum pertinent, scientia ex ipsius Dei verbo hausta.* Nimirum verba illa, *rerum quae ad Deum pertinent scientia*, Theologiae genus indicant; siquidem eam quoque Metaphysicae partem complectuntur, quae de Deo, rebusque divinis, ratione duce, sermonem instituit, atque ideo *Theologia* etiam appellatur, quoniam vocabulum hoc *Theologia* nihil aliud sonat, quam *Sermo de Deo*. Quae autem sequuntur voces, *ex ipsius Dei verbo hausta*, differentiam constituunt; nam principia, quibus de divinis rebus loquitur dogmaticus Theologus, ipsi suppeditat Dei verbum: metaphysicus autem de Deo principiis ab ipsa natura depromptis ratiocinatur;

quapropter eius Theologia *Naturalis* appellatur.

§. II. Ut autem clarius intelligatur proposita definitio, eius verba amplius percurrendo explicemus. Nimirum primo Theologia revelata dicitur *Scientia*, quia scilicet ex firmis principiis dogmata deducit; quod si principia haec per se evidentia non sint, certissima tamen sunt ob evidentiam, quam ex ipsa Dei Scientia, quae ab omni prorsus errore immunis est, desumunt, atque ideo infinita firmitate potiuntur (1). Huius vero

(1) Ad rem sic argumentatur S. Thomas: *Dicendum sacram doctrinam esse scientiam. Sed sciendum est quod duplex est scientiarum genus. Quaedam enim sunt, quae procedunt ex principiis notis lumine naturali intellectus; sicut Arithmetica, Geometria, et huiusmodi. Quaedam vero sunt, quae procedunt ex principiis notis lumine superioris scientiae; sicut Prospectiva procedit ex principiis notificatis per Geometriam, et Musica ex principiis per Arithmeticam notis. Et hoc modo sacra doctrina est scientia, quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiae, quae scilicet est scientia Dei, et Beatorum.* p. I. q. I. a. II. c.

scientiae obiectum proprium Deus est, sive Dei natura, et Opera, quae illis vocibus *rerum, quae ad Deum pertinent*, expressimus. Ea demum nos Deus ipse verbo suo docet, quod reliqua definitionis pars vocibus illis, *ex ipsius Dei verbo hausta*, indicat. Revelatio ergo instrumentum est, quo scientiam hanc adsequimur. Quamobrem Theologia revelata generatim *Positiva* etiam appellatur; ipsa enim non ea nobis proponit, quae a creatis rebus ad Creatorem, rationis ope, gradum facientes, de rebus divinis cognoscere possumus; sed quae verbo suo Deus ipse nobis patefecit (1).

§. III. Quum vero ea, quae Theologia docet, alia speculativa sint, alia vero practica, dividitur primo ratione obiecti in *Dogmaticam*, et *Moralem*. Ratione autem finis

(1) Apposite Hilarius: *Non subeunt ingenia nostra in coelestem scientiam, neque incomprehensibilem virtutem sensu aliquo infirmitas nostra concipiet. Ipsi de se Deo credendum est, et iis, quae cognitioni nostrae de se tribuit, obsequendum.* Lib. IV. de Trinit. n. 14.

Theologia est vel *Polemica*, vel *Ascetica*, vel *Mystica*. *Polemica*, seu *controversa* dicitur, quae vel Haereticorum errores confutandos sibi proponit, vel catholicorum Theologorum varias quaestiones expendit. *Ascetica*, quae virtutum exercendarum regulas tradit. *Mystica* demum, quae de *extraordinariis*, ac *reconditioribus* viis, per quas Deus quosdam homines ad perfectiorem vivendi formam ducit, loquitur (2). Ratione denique

(2) Mystica Theologia alio sensu dicitur ea, quae ex symbolis, et figuris in Sacra Scriptura adhibitis, divinas veritates, quae in illis continentur, eruit; ut e. g. accidit, cum ex Paschali Agno, qui Christi figura ac symbolum fuit, eiusque Agni immolatione, aliqua dogmata ad Christum, eiusque sacrificium pertinentia docentur. Eiusmodi Theologia συμβολικη, απορρητος, μυστικη, τελεστικη, *symbolica, arcana, mystica, initiatoria* a Dionysio, vel quovis alio Auctore operum Dionysio tributorum, appellatur; atque alteri εμφανει, γνωριμωτερᾳ, φιλοσοφῳ, αποδεικτικῃ, *apertae, manifestiori, philosophicae, demonstranti* opponitur. Epist. IX. ad Titum. De mysticae huius Theologiae fructu sic loquitur Clemens Alexandrinus: *Utilissimum est Symbolicae genus interpretationis ad multa; ac tum ad rectam conducens Theologiam,*

methodi Theologia est vel *Positiva*, vel *Scholastica*. Positiva proprie dicitur ea, quae revelatas veritates divino verbo vel scripto, vel ore tradito, prout sese offert occasio, fusiori ac liberiori dicendi ratione, explicat, atque confirmat. *Scholastica* autem ea, quae universam doctrinam a Deo revelatam in partes, ac tractationes varias distribuens, eamque ordine certo percurrens, et strictiori quadam ratiocinandi methodo demonstrans, ad doctrinam addiscendam faciliorem sternit viam. Atque haec de Theologiae definitione, ac divisione. Ad revelatae doctrinae, cuius Dogmatica Theologia pars est, necessitatem demonstrandam gradum faciamus.

---

tum ad pietatem; tum ad demonstrandam prudentiam: nec non ad breviloquentiam exercendam, et ostendendam sapientiam. Est enim sapientiae dextre uti Symbolicâ locutione, ait Didymus Grammaticus, et quod ea significatur, exponere. Stromat. V. pag. 243. edit. Silburg.

Caput II.

De revelatae doctrinae necessitate.

Revelatam doctrinam omnino necessariam esse ii certe quidem fatentur, qui hominem ad finem tota natura superiorem, seu *supernaturalem*, a Deo directum fuisse non negant. Quod sic brevi ratiocinio confirmat S. Thomas: *Necessarium fuit ad humanam salutem esse doctrinam quandam secundum revelationem divinam praeter physicas disciplinas, quae ratione humana investigantur. Primo quidem quia homo ordinatur ad Deum, sicut ad quemdam finem, qui comprehensionem rationis excedit secundum illud Isaiae:* Oculus non vidit, Deus, absque te, quae praeparasti diligentibus te LXIV. *Finem autem oportet esse praecognitum hominibus, quia suas intentiones et actiones debent ordinare in finem. Unde necessarium fuit homini ad salutem, quod ei nota fierent quaedam per*

revelationem divinam, quae rationem humanam excedunt. p. I. q. I. ar. I. c. Sed qui eiusmodi finem vel ignorant, vel negant, isti quemlibet hominem ad felicitatem pervenire posse dictitant, si propriae rationis usu ea omnia teneat, quae et intelligenda, et peragenda ratio ipsa satis aperte docet Adversus istos revelatae doctrinae necessitatem demonstraturi, paucas propositiones statuemus ita inter se connexas, ut una sine altera negari non possit, easque, ubi opus erit, brevibus, ac dilucidis argumentis confirmabimus. Propositionum ordo hic est,

I. Existit Deus.

II. Verus Deus non potest esse, nisi unus.

III. Colendus est Deus.

IV. Verus Deus, qui est unus, vera, atque unica Religione colendus est.

V. Unicam, et veram Religionem invenire uniuscuiusque hominis maxime interest.

VI. Unicam, et veram Religionem humana ratio, ipsa per se, invenire non potest.

VII. Unicam, et veram Religionem sola Revelatio patefecit.

Has propositiones, eo quo disposuimus ordine, demonstrandas aggredimur.

PROPOSITIO I.

Existit Deus.

Prob. Veritatem hanc, quam variis argumentis praesertim ex mundi existentia, eiusque pulchritudine, ac ordine, atque ex ipso gentium omnium vel sapientia excultarum, vel etiam barbararum consensu evidenter probant Philosophi, ne ipsi quidem Increduli negant. Nam etsi eorum principia ad Atheismum ducant; ipsi tamen errorem hunc omnium monstrosissimum agnoscentes, se Atheos exhibere omnino reformidant: ac se Dei existentiam, eiusque infinitam perfectionem pro certo habere passim profitentur.

Propositio II.

Verus Deus non potest esse, nisi unus.

Prob. Infinitum, et Unum adeo stricte inter se coniungi, ut alterum sine altero dari nequeat, tam certum est, quam quod certissimum. Si enim duos esse dicas, iam unum non esse alterum adfirmas: ideoque neuter infinitus erit. Atque in hac etiam veritate admittenda nobiscum fere omnes Deistae consentiunt.

Propositio III.

Colendus est Deus.

Prob. Si Deus existit, inter Deum, et nos *relatio* quaedam intercedat oportet. Ipse enim Creator noster est, nos vero eius creata opera. Illa igitur inter Deum, et nos *relatio* intercedit, quae inter causam, et effectum; *relatio* scilicet naturalis, necessaria, indelebi-

lis (1). Ab hac autem *relatione*, quae in ratione principii consistit, inseparabilis prorsus est altera, quae ex ratione finis oritur. Quum enim finem, quem sibi aliquis proponit, eius mens concipiat, atque constituat voluntas; menti, ac voluntati respondeat finis (2) necesse est, seu, ut aiunt Scholae, *menti, ac voluntati agentis debet esse pro-*

---

(1) *Relatio*, quae inter Deum, et hominem intercedit, ex ipsa Dei, hominisque natura fluit, atque ideo immutabilis est, non secus ac natura. Nimirum non potest Deus non esse rerum omnium, quae extra ipsum existunt, causa; nec potest homo, aeque ac res omnes extra Deum, existere sine Deo. Homo igitur non potest non dependere a Deo, nec Deus ipse efficere potest, ut ab ipso non dependeat homo.

(2) Quod sibi proponit *agens*, ut opere adsequatur, dicitur finis; quapropter dicunt scholae: *finis prior in intentione, posterior in operatione*, scilicet prius in mente et voluntate, deinde in opere.

portionatus finis. Atqui Dei mens, et voluntas infinita est. Finis ergo Divina mente conceptus, et Divina voluntate constitutus, sit infinitus oportet; siquidem in mente, ac voluntate infinita nihil non infinitum. Sed praeter Deum nihil est infinitum. Itaque nullum alium finem, nisi semetipsum, sibi proponere in quolibet opere suo potest Deus. Nos igitur Deus propter se creavit: quare quemadmodum Deo nos strictissime coniungit ratio principii, quippe qui sine illo existere non possumus; ita etiam ratio finis, quippe cum sine illo felices esse non possimus. Cuius quidem veritatis in nobismetipsis firmissimum testimonium habemus; plenam enim, ac semper duraturam felicitatem, quam in nullo alio, praeter Deum, qui sòlus est perfectissimum, et aeternum bonum, reperire possumus, vehementissime concupiscimus omnes.

Propositio IV.

Verus Deus, qui est unus, vera, atque unica Religione colendus est.

Prob. Vera religio dicitur, quae Dei, hominisque coniunctionem, seu *relationem*, quae inter utrumque necessario intercedit, integram, inviolatamque servat (1). Si ergo vel Dei, vel hominis naturae adversetur, falsa illico erit; idcoque Religio vera ita hominum mentes instruere debet, eorumque mores componere, ut in Deo principii, ac finis rationem ponentes, a Deo, primo eorum principio, omnino dependeant; ad Deum, ultimum ipsorum finem, omnino tendant (2); atque

---

(1) Religio enim est, quae hominem Deo revincit, seu religat; ac Religionis fundamentum illud est, quod nempe homo a Deo et ratione principii, et ratione finis, adeo dependeat, ut vinculum, quo homo Deo coniungitur, nec Deus ipse rumpere possit; ut ex dictis patet.

(2) Nihil agit voluntas, quod prius non intellexerit mens; nec aliquid operatur homo, quin

ita ad Deum ipsum, qui est eorum felicitas, demum perveniant. Vera autem sit oportet Religio; Deus enim ipsa veritas est, ideoque quod falsum est, non detestari atque reiicere non potest; et homo ita est a Deo factus, ut veritatem natura amet, falsitatem odio persequatur. Quod si plurium inter se oppositorum unum potest esse verum, cetera autem necessario falsa esse debent, veram Religionem unam esse nullus rationis compos

velit. Vera ergo Religio veram Dei, hominisque, eorumque comparationis, seu *relationis* ideam menti communicare debet; nec non voluntatem ad hanc comparationem, seu *relationem* integram, inviolatamque servandam inclinare. Quod ad corpus spectat, quum singulis animi cogitationibus singuli corporis motus respondeant; et per corpus multae in anima cogitationes, atque commotiones excitentur, ac vicissim anima per corpus proprias ideas, atque commotiones manifestet; et demum utramque substantiam corporalem, et spiritalem Deus propter se creaverit: iure meritissimo omnium gentium consensus exteriorem Religionem ab interiori disiungi non posse iudicavit.

negabit. Religionum ergo *indifferentia*, utpote quae Deo, qui veritas infinita est, et homini, qui ad veritatem a Deo est factus, repugnat, absurdissima est.

Propositio V.

Veram, et unicam Religionem invenire uniuscuiusque hominis maxime interest.

Prob. Verae, et unicae Religionis proprium est efficere, ut homo Deum, primum suum principium, colat, ad Deum ultimum suum finem perveniat, quemadmodum ex superioribus propositionibus constat. Ergo veram, et unicam Religionem invenire idem est, ac veram, et unicam viam reperire, qua felicitatem vehementissime exoptatam quilibet homo adsequi potest. Atqui cuiuslibet hominis plenam, ac perfectam felicitatem, quam tanto ardore appetit, adsequi maxime interest.

Propositio VI.

Veram et unicam Religionem humana ratio, ipsa per se, invenire non potest.

Prob. Vera Religio nihil docere debet, quod vel Divinae, vel humanae naturae, vel utriusque vinculo, seu *relationi* adversetur; immo debet cuilibet homini viam aperire, qua verum Deum colat, atque ad eum tendat, ut in ipso felicitate illa, quam ardentissime cupit, frui possit; quilibet enim homo a Deo est creatus, ut ad exoptatam felicitatem perveniat. Atqui toto quadraginta saeculorum spatio maximi humanae rationis conatus ad eiusmodi Religionem deprehendendam vani omnino, ac irriti fuerunt. Nam de Deo, et homine, ac de utriusque vinculo, seu *relatione* pauca docuit, quae vera sunt, plurima prorsus falsa (1); quae au-

(1) Plurima omnino absona, et absurda in Religionis negotio tum quod ad partem *speculativam*, tum quod ad partem *practicam* adtinet, Philosó-

tem vera sunt, ita tradidit, ut maxima hominum pars eorum cognitione, ac pro-

phos etiam celebratissimos docuisse, eorum opera apertissime testantur. At Institutionum limites longam eiusmodi Philosophicarum doctrinarum seriem contexere non sinunt. Legantur Diogenes Laertius *De vitis Philosophorum*, Plutarchus *de Placitis Philosophorum*, Cicero *de Natura Deorum*, Auctores, quorum ne minima quidem suspicio oboriri poterit Deistis. Heic itaque illam Ciceronis sententiam, quam citati operis initio legimus, commemorare satis erit: *Cum multae res in Philosophia nequaquam satis adhuc explicatae sint, tum perdifficilis, Brute, (quod tu minime ignoras) et perobscura quaestio est de Natura Deorum, quae et ad agnitionem animi pulcherrima est, et ad moderandam Religionem necessaria. De qua tam variae sunt doctissimorum hominum, tamque discrepantes sententiae, ut magno argumento esse debeat, causam, id est principium Philosophiae esse Scientiam, prudenterque Academicos a rebus incertis assensionem cohibuisse. Quid est enim temeritate fortius? aut quid tam temerarium, tamque indignum sapientis gravitate, atque constantia, quam aut falsum sentire, aut quod non satis explorate perceptum sit, et cognitum sine*

inde propria felicitate carere debeat (1).

---

ulla dubitatione defendere? Velut in hac quaestione plerique (quod maxime verisimile est, et quo omnes duce Natura vehimur) Deos esse dixerunt; dubitare se Protagoras, nullos esse omnino Diagoras Melius, et Theodorus Cyrenaicus putaverunt. Qui vero Deos esse dixerunt, tanta sunt in varietate, ac dissensione, ut eorum molestum sit dinumerare sententias.

(1) Nimirum maxima hominum pars pueris, puellis, mulierculis, vetulis, agricolis, artificibus, aliisque id genus, qui litterarum studiis vel ingenii, vel temporis defectu vacare nequeunt, rudibus nempe, et illiteratis constat. Quomodo autem possent eiusmodi homines philosophicas disciplinas perdiscere, ut tandem aliquando Religionis cognitionem adsequerentur? Quaenam ipsorum sors esset, si vel antequam Philosophicorum studiorum iter aggrederentur, vel itinere ipso nondum completo, e vivis per mortem praeriperentur? De eorum felicitate actum esset. Egregie pro more argumentum hoc paucis comprehendit S. Thomas, qui sic ratiocinatur: *Ad ea etiam, quae de Deo ratione humana investigari possunt, necessarium fuit hominem instrui revelatione divina: quia veritas de Deo per rationem investigata, a paucis, et per*

Duo praeterea, quae in Religionis negotio maximi momenti sunt, humana ratio prorsus ignorat. Primum quo ritu externo Deus coli velit: quamquam enim externi cultus necessitatem evidenter agnoscat, ut iam demonstravimus; ignorat tamen quisnam proprie externus ille cultus sit, qui Deo placeat. Alterum vero, num aliquis adsit modus Deum placandi, postquam homo illum peccando iniuria affecerit, necne; et si adsit, quisnam ille sit. Sed quid plura in medium argumenta afferimus, quum tanta sit humanae rationis in hac parte imbecillitas, ut ne se quidem ipsum homo intelligat? Si enim Deus Veritas ipsa est,

---

longum tempus, et cum admixtione multorum errorum homini proveniret: a cuius tamen veritatis cognitione dependet tota hominis salus, quae in Deo est. Ut igitur salus hominibus et convenientius, et certius proveniat, necessarium fuit, quod de divinis per divinam revelationem instruerentur. Necessarium igitur fuit, praeter philosophicas disciplinas, quae per rationem investigantur, sacram doctrinam per revelationem haberi. I. p. qu. I. art. I. c.

ipsa bonitas, iustitia ipsa, quomodo fieri potest, ut homo, qui Dei opus est, ideoque ad veritatem cognoscendam, ad bonitatem amandam, ad felicitatem obtinendam, dummodo ea indignus non evaserit, factus a Deo, tam ad errorem proclivis, ad malum inclinatus sit ab ipsa pene infantia, et nondum peccandi capax tot, tantisque affligatur malis? Itaque humanae rationis imbecillitas in Religionis negotio tam evidens est, quam quod evidentissimum.

Caput III.

De revelatae doctrinae veritate.

§. I. Doctrinam illam, qua homo in Religionis negotio indigebat, ut iam demonstravimus, a Deo revelatam fuisse, ex dictis in superiori capite iam satis constat. Si enim naturae viribus vera, et unica Religio, qua concupitam felicitatem adsequi possit homo, inveniri non potest; Deista, si ratione uti velit, aut Deum alia via hominis indigentiae

satisfecisse, aut homini vanum, et molestum desiderium indidisse, concludat oportet. Atqui secunda conclusio ad Atheismum ducit; a quo alienissimum se praedicat Deista. Ergo primam conclusionem tenebit certe quidem; ideoque revelatae doctrinae veritatem negare non poterit. Sed ut veritatem hanc varia, ac multiplici evidentia splendescere quisque videat, peculiaribus argumentis illam confirmare iuvabit.

§. II. Quum ea dicatur revelata doctrina, quam Deus non ratiocinii via, sed ipse per se, seu *immediate* manifestat, quod illum facere posse nemo sanae mentis in dubium revocabit (1); eam iam fuisse homini exhibitam, huiusmodi argumentis demonstran-

(1) Quid enim non potest, qui omnia potest? Deus igitur, quum sit omnipotens, innumeris prorsus modis hominis intellectum ipse per se illustrare potest. Nimirum si potuit Deus naturali lumine hominis intellectum instruere, quidni alio quolibet lumine eumdem intellectum illustrare poterit? Nihil certe quidem repugnat.

dum est ; quae Deum per se homini verba facientem ostendunt. Eiusmodi argumentorum praecipua haec sunt, prophetiae, miracula, ipsius doctrinae divina sublimitas, eiusdem doctrinae ad optimos mores conformandos divina accommodatio, mira hominum in hac doctrina recipienda docilitas, in eaque retinenda constantia, non minus mira talis doctrinae addiscendae facilitas cuiuslibet hominis ingenio aptissima, rationum, quas ad finem ultimum obtinendum doctrina haec suppeditat, efficacissima virtus, interna pax, qua doctrinae huius cultores potiuntur. Quae quidem argumenta in subiectis propositionibus, maiori qua possumus brevitate, et claritate, explicanda aggredimur.

PROPOSITIO I.

Religionis doctrinam hominibus Deum revelasse prophetiae evincunt.

Prob. Ut Dei verba facientis argumentum firmissimum esse prophetiam ostendamus, prophetiae definitionem explicare sufficiet. Nimirum *futurarum rerum nec in semetipsis, nec in earum caussis ulla ratione determinatarum certissima praedictio* prophetia dicitur. Duo igitur ad prophetiam constituendam necessario requiruntur, res scilicet futurae, quae nulla ratione nec per se, nec per caussas suas, determinari possint; earumque certissima praedictio: quorum si vel unum, vel alterum desit, prophetia dici non potest. Quamobrem, ut exemplis aliquot rem facilius explanemus, nec navis gubernator, qui in summa maris, aërisque tranquillitate futuram tempestatem; nec Astronomus, qui eclipses multo ante, quam eveniant, praenuntiat; nec medicus, qui sano homini impendentem morbum; nec Politi-

cus, qui civitatis imminentia vel mala, vel bona praedicit, propheta est. Etsi enim eiusmodi res, quae praevidentur, futurae sint, in suis tamen caussis iam determinantur; ideoque qui caussas illas artis peritia novit, ex earum dispositione effectus etiam remotissimos coniicit, atque praevertit. At quum futura res eiusmodi est, ut nulla ratione cum naturalibus caussis, quae illam producere possint, connectatur; qui eam certissime praenunciat, propheta hic profecto est. Si quis ergo, ut exemplum etiam hic adhibeamus, pluribus ante saeculis nasciturum hominem dicat, eiusque matrem, nomen, patriam, indolem, opera, vitae cursum, mortis tempus, aliaque similia definiat, talem praedictionem veram esse prophetiam quis unquam in dubium revocabit? Atqui veris prophetiis plenos esse libros, quos ut revelatae doctrinae fontes agnoscimus, explorata res est, ut quilibet libros ipsos perlegens facile observare potest. Nos vero speciminis loco quasdam prophetias in medium afferemus, easque longa post saecula ada-

mussim completas fuisse ostendemus. Quare hunc, qui sequitur, παραλληλισμον subiicimus.

ILLUSTRIORUM DE CHRISTO

PROPHETIARUM

CUM

EARUM EXITU COMPARATIO.

TEMPUS QUO VENTURUS ERAT MESSIAS.

Iuda, te laudabunt fratres tui: manus tuae in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui........ Non auferetur sceptrum de Iuda, et dux de foemore eius, donec veniat, qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium. Genes. XLIX. 8. 10.

Cum ergo natus esset Iesus in Bethlehem Iuda, in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam. Matth. II. 1.

Et regnum quartum erit velut ferrum: quomodo ferrum comminuit, et domat omnia, sic comminuet, et conteret omnia haec. Porro quia vi-

DESTRUCTIS TRIBUS REGNIS CHALDAEORUM, PERSARUM ET MEDORUM, ATQUE GRAECORUM, VIGENTE ADHUC QUARTO, NEMPE ROMA-

disti pedum, et digitorum partem testae figuli, et partem ferream, regnum divisum erit; quod tamen de plantario ferri orietur secundum quod vidisti ferrum mixtum testae ex luto, et digitos pedum ex parte ferreos, et ex parte fictiles; ex parte regnum erit solidum, et ex parte contritum. Quod autem vidisti ferrum mixtum textae ex luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhaerebunt sibi, sicut ferrum misceri non potest testae. In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus Coeli Regnum, quod in aeternum non dissipabitur, et regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem, et consumet universa regna haec, et ipsum stabit in aeternum. Daniel. II. 40. et seqq.

NORUM REGNO, CHRISTUM ADVENISSE, AC SPIRITALE REGNUM SUUM, ECCLESIAM NEMPE, INSTITUISSE, IN QUAM HOMINES EX OMNIBUS GENTIBUS COLLIGUNTUR, ET QUAE DECEM ET NOVEM SAECULIS IAM INTER OMNIS GENERIS PERSECUTIONES IMMOTA PERSISTIT, EXPLORATA RES EST.

Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna, et impleatur visio, et Prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, et animadverte : Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Ierusalem usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt, et rursum aedificabitur platea, et muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est etc. Daniel. IX. 24. et seqq.

IESUM CHRISTUM, QUI SOLUS EST SANCTUS SANCTORUM, ET SOLUS PECCATUM DELEVIT, ET IUSTITIAM ADDUXIT, ET PROPHETIAS IMPLEVIT, EO TEMPORE INCARNATUM, ET MORTUUM, QUO PRAEDICITUR A DANIELE, SEPTUAGESIMA POST HEBDOMADA ANNORUM AB ARTAXERXIS LONGIMANI ALTERO EDICTO, QUOD TEMPLI, ET MURORUM IERUSALEM AEDIFICATIONEM PERMISIT, IUDAEOSQUE NON AMPLIUS ESSE EIUS POPULUM, MIRA EVIDENTIA CONFIRMANT ET SACRI, ET PROFANI HISTORICI, IPSORUMQUE IUDAEORUM DISPERSIO APERTISSIME CONTESTATUR.

Messias Mater Virgo.

Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel. Isai. VII. 14

Usquequo deliciis dissolveris filia vaga? quia creavit Dominus novum super terram; Femina circumdabit virum. Ierem. XXXI. 22.

Haec dicit Dominus ad me: Porta haec clausa erit: non aperietur, et vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa Principi. Princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino: per viam portae vestibuli ingredietur, et per viam

Christi autem generatio sic erat: Cum esset desponsata Mater eius Maria Ioseph, antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Ioseph autem vir eius cum esset iustus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Haec autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est; pariet autem Filium, et vocabis nomen eius Iesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Hoc autem factum est, ut adim-

eius egredietur. Ezech. XLIV. 2. 3.

pleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, et pariet Filium, et vocabunt nomen eius Emmanuel.... Et non cognoscebat eam; donec peperit filium suum primogenitum, et vocavit nomen eius Iesum. Matth. I. 18. et. seqq.

Idem constat ex Lucae Cap. I. 26. et seqq.

MESSIAE NOMEN IESUS, SCILICET SALVATOR.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris Isai. XII. 3.

Prope est Iustus meus, egressus est Salvator meus Isai. LI. 5.

Propter Sion non tacebo, et propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur ut Splendor Iustus eius, et Salvator

Angelus Domini apparuit in somnis ei (Iosepho) dicens: Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam Coniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet

eius ut lampas accendatur. . . . . Ecce Dominus auditum fecit in extremis terrae, dicite filiae Sion: Ecce Salvator tuus venit, ecce merces eius cum eo, et opus eius coram illo. Isa. LXII. I. 11.

Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Iesu meo. Habac. III. 18.

Exulta satis filia Sion; iubila filia Ierusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi Iustus, Salvator Zach. IX. 9.

populum suum a peccatis eorum. . . . . Et non cognoscebat eam (Ioseph), donec peperit filium suum primogenitum, et vocavit nomen ejus Iesum. Matth. I. 20 et seqq.

Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum. Luc. I. 30. 31.

Et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer, vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo; priusquam in utero conciperetur. Luc. II. 21.

Locus nativitatis Christi.

Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Iuda : ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel, et egressus eius ab initio a diebus aeternitatis. Mich. V. 2.

Cum ergo natus Iesus esset in Bethlehem Iudae. .... Congregans (Herodes) omnes principes Sacerdotum, et Scribas populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt in Bethlehem Iudae, sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem etc. Matth. II. 1. etc seqq.

Christi Praecursor.

Vox clamantis in deserto : parate viam Domini , rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur etc.. Is. XL. 3. et seqq.

In diebus autem illis venit Ioannes Baptista praedicans in deserto Iudaeae , et dicens: Poenitentiam agite... Hic est enim, qui dictus est per Isaiam Prophetam dicentem : Vox clamantis in deserto. etc. Matth. III. 1. et seqq.

Ecce ego mitto Ange-

Initium Evangelii Ie-

lum meum, et praeparabit viam ante faciem meam, etc. Malach. III. c. 1.

su Christi filii Dei, sicut scriptum est in Isaia Propheta: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam etc. Marc. I. 1. et seqq.

HABITATIO CHRISTI IN CAPHARNAUM.

Primo tempore alleviata est Terra Zabulon, et Terra Nephtali, et novissimo aggravata est via maris trans Iordanem Galilaeae Gentium. Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis. Is. IX. 1. 2.

Cum autem audisset Iesus, quod Ioannes traditus esset; secessit in Galilaeam, et relicta civitate Nazareth, venit et habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon, et Nephthalim: ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam: Terra Zabulon, et Terra Nephthalim, via maris trans Iordanem Galilaeae Gentium, populus qui sedebat etc. Matth. IV. 12.

Praedicatio, et Miracula Christi.

Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et praedicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem: ut praedicarem annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro, ut consolarer omnes lugentes; ut ponerem lugentibus Sion, et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu moeroris. Is. LXI. 1. et seqq.

Et traditus est illi liber Isaiae Prophetae. Et ut revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat: Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, praedicare captivis remissionem, et caecis visum, dimittere confractos in remissionem, praedicare annum Domini acceptum, et diem retributionis. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, et sedit. Et omnium in Synagoga oculi erant intendentes in eum. Coepit autem dicere ad illos: quia hodie impleta est haec Scriptura in auribus vestris. Luc. IV. 17.

Et circuibat Iesus to-

tam Galilaeam, docens in Synagogis eorum, et praedicans Evangelium regni, et sanans omnem languorem, et omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio eius in totam Syriam, et obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus, et tormentis comprehensos, et qui daemonia habebant, et lunaticos, et paralyticos, et curavit eos. Matth. IV. 23.

INGRESSUS CHRISTI IN IERUSALEM, SEDENTIS SUPER ASINUM.

Exulta satis, filia Sion, Iubila Filia Ierusalem, ecce Rex tuus veniet tibi iustus, et salvator: ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinae. Zach. IX.

Tunc Iesus misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea: solvite, et adducite mihi. .... Hoc autem to-

tum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Dicite filiae Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum filium subiugalis. Matth. XXI. 1. et seqq.

PRODITIO, ET INTERITUS IUDAE.

Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos; et dixit Dominus ad me: proiice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, et proieci illos in domum Domini ad statuarium. Zach. XI. 12.

Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, poenitentia ductus retulit triginta argenteos..... et proiectis argenteis in templo, recessit, et abiens laqueo se suspendit. Principes autem sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est. Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam pe-

regrinorum. Propter hoc vocatus est ager ille Haceldama, hoc est, ager sanguinis, usque in hodiernum diem. Tunc impletum est quod dictum est per Ieremiam Prophetam dicentem; Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Israel, et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus. Matth. XXXVII. 3. et seqq.

Effunde super eos iram tuam, et furor irae tuae comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Psal. LXVIII. 25. et seqq.

Pro eo ut me dilige-

Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus Sanctus per os David de Iuda, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Iesum, qui connumeratus erat in nobis, et sortitus est sortem ministerii huius. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, et suspensus

rent, detrahebant mihi: Ego autem orabam. Et posuerunt adversum me mala pro bonis; et odium pro dilectione mea. Constitue super eum peccatorem, et diabolus stet a dextris eius. Cum iudicatur exeat condemnatus, et oratio eius fiat in peccatum. Fiant dies eius pauci, et Episcopatum eius accipiat alter. Psal. CVIII. 4. et seqq.

crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera eius. Et notum factum est omnibus habitantibus Ierusalem, ita ut appellaretur ager ille lingua eorum Haceldama, hoc est, ager sanguinis. Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio eorum deserta, et non sit qui habitet in ea, et Episcopatuum eius accipiat alter. Act. Ap. 1. 16.

CHRISTI ACCUSATI SILENTIUM.

Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. Isai. LIII. 7.

Et surgens Princeps Sacerdotum ait illi: Nihil respondes ad ea, quae isti adversum te testificantur? Iesus autem tacebat. Matth. XXVI. 62. et seqq.

Et cum accusaretur a Principibus Sacerdotum,

et Senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta adversum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad ullum verbum. Matth. XXVII. 12. et seqq.

Percutitur Christus, conspuitur, vulneratur, satiatur opprobriis, silet.

Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me. Isai. L. 6.

Tunc expuerunt in faciem eius, et colaphis eum ceciderunt; alii autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes: Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit? Matth. XXVI. 67. et seqq.

Non est species ei, neque decor: et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum; despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scien-

Quem vultis dimittam vobis? Barabbam, an Iesum?........ At illi dixerunt, Barabbam. Matth. XXVII. 17.

Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, et

tem infirmitatem; et quasi absconditus vultus eius et despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit: et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostrae super eum, et livore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum, etc.

flagellavit. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius, et veste purpurea circumdederunt eum, et dicebant: Ave Rex Iudaeorum; et dabant ei alapas. Ioan. XIX. 1. et seqq.

Et expuentes in eum acceperunt arundinem, et percutiebant caput eius. Matth. XXVII. 30.

Exivit ergo Iesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum, et dicit eis (Pilatus): *Ecce homo. Cum ergo vidissent eum Pontifices, et ministri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum.... ..Et ingressus est Praetorium iterum, et dixit ad Iesum: Unde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. Ioan. XIX. 5. et seqq.*

Isai. LIII. 2. et seqq.

Pilatus autem volens populo satisfacere...... tradidit Iesum flagellis caesum, ut crucifigeretur. Marc. XV. 15.

CRUCIFIGITUR.

Foderunt manus meas, et pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea. Psal. XXI. 18. 15.

Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum. Mar. XV. 25.

INTER LATRONES.

Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est. Isa. LIII. 12.

Et cum eo crucifigunt duos latrones, unum a dextris, et alium a sinistris eius, et impleta est scriptura, quae dicit: Et cum iniquis reputatus est. Mar. XV. 27. 28.

IN CRUCE SUBSANNATUR.

Ego autem sum vermis, et non homo, op-

Praetereuntes autem blasphemabant eum, mo-

probrium hominum, et abiectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis, et moverunt caput: Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum. Psal. XXI. 7. et seqq.

ventes capita sua, et dicentes. . . . . Salva temetipsum; si filius Dei es, descende de Cruce. Similiter et Principes Sacerdotum illudentes cum scribis, et senioribus dicebant: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: Si rex Israel est, descendat nunc de Cruce, et credimus ei: Confidit in Deo, liberet nunc si vult eum: dixit enim, quia filius Dei sum. Matth. XXVII 39. et seqq.

PRO CRUCIFIXORIBUS ORAT.

Et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit. Isai. LIII. 12.

Iesus autem dicebat: Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt Luc. XXIII. 34.

SORS SUPER VESTEM MITTITUR.

Foderunt manus meas,

Postquam autem cru-

et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi vero consideraverunt, et inspexerunt in me: diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem. Psal. XXI. 18. et seqq.

cifixerunt eum, diviserunt vestimenta eius sortem mittentes, ut impleretur quod dictum est: Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem. Matth. XXVII. 35.

Patrem in Cruce pendens inclamat.

Deus Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? Longe a salute mea verba delictorum meorum, etc. Psal XXI. 1.

Et circa horam nonam clamavit Iesus voce magna dicens: Eli, Eli, lamma sabactani; hoc est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Matth. XXVII. 46.

Felle et aceto potatur.

Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto. Psal. LXVIII. 22.

Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum, et cum gustasset, noluit bibere.. Et continuo currens unus ex eis, acceptam spongiam implevit

aceto, et imposuit arundini, et dabat ei bibere. Matth. XXVII. 34. 48.

TRADIT SPIRITUM.

Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum.... Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam. Isai. LIII. 10. 12.

Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit Spiritum. Ioan. XIX. 30.

RESURGIT.

Propter hoc laetatum est cor meum, et exultavit lingua mea: insuper et caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas

Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. David enim dicit in eum: Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear.

mihi fecisti vias vitae, adimplebis me laetitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem. Psal. XV. 9. et seqq.

Propter hoc laetatum est cor meum, et exultavit lingua mea; insuper et caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitae, et replebis me iucunditate cum facie tua. Act II. 24. et seqq.

ASCENDIT IN COELUM.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales, et introibit Rex gloriae? Quis est iste Rex gloriae. Dominus fortis, et potens, Dominus potens in praelio. Attollite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales, et introibit Rex gloriae. Quis est iste Rex gloriae? Dominus virtutum ipse est

Et Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumtus est in Coelum. Marc. XVI. 19.

Modicum, et iam non videbitis me: et iterum modicum, et videbitis me; quia vado ad Patrem... Exivi a Patre, et veni in Mundum: iterum relinquo Mundum, et vado ad Patrem. Ioan. XVI. 16. 28.

Rex gloriae. Psal. XXIII. 7. et seqq.

Ascendit Deus in iubilo, et Dominus in voce tubae..... Regnabit Deus super gentes, Deus sedet super sedem sanctam suam. Psal. XLVI. 6. et 9.

Cantate Deo, psalmum dicite nomini eius: iter facite ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi...... Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus...... Regna terrae cantate Deo: psallite Domino, psallite Deo, qui ascendit super coelum coeli ad orientem. Ecce dabit voci suae vocem virtutis: date gloriam Deo super Israël; magnificentia eius, et virtus eius in nubibus. Psal. LXVII. 5. 19. 33. et seqq.

Item. Prov. XXX. 4.

Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quae coepit Iesus facere, et docere, usque in diem, qua praecipiens Apostolis per Spiritum Sanctum, quos elegit, assumtus est.... Et cum haec dixisset, videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in Coelum euntem illum, ecce duo viri adstiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui et dixerunt: Viri Galilaei, quid statis aspicientes in Coelum? Hic Iesus, qui assumtus est a vobis in Coelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in Coelum. Act. I. 1. 2, 9. et seqq.

Propter quod dicit: Ascendens in altum, captivam duxit captivi-

Isai. LII. 13. Dan. VII. 13. 14. Zach. XIV. 4.

tatem, dedit dona hominibus. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terrae? Qui descendit ipse est et qui ascendit super omnes Coelos, ut impleret omnia. Eph. IV. 8. et seqq.

Item. Act. II. 33. III. 21. V. 31. Philip. II. 9. et seqq. I. Petr. III. 21. 22.

MITTIT SPIRITUM SANCTUM.

Et erit post haec; mittam Spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et filiae vestrae; senes vestri somnia somniabunt, et iuvenes vestri visiones videbunt. Sed et super servos meos, et ancillas in illis diebus effundam Spiritum meum. Ioel. II. 28. et seq.

Et cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco, et factus est repente de Coelo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitae linguae, tamquam ignis, seditque supra singulos

eorum, et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et coeperunt loqui variis linguis; prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis........ Stans autem Petrus cum undecim levavit vocem suam; et locutus est eis.....; Hoc est quod dictum est per Prophetam Ioel: Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus; effundam de Spiritu meo super omnem carnem etc. Act. II. 1. 2. 3. 4. 14. 17.

Praedicatio Evangelii, et Ecclesia per orbem diffusa.

Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes., et ibunt populi multi, et dicent: Venite, et ascen-

Erant autem in Ierusalem habitantes Iudaei, viri religiosi ex omni natione, quae sub coelo est............ Parthi, et Medi; et Aelamitae, et qui habitant Mesopotamiam, Iudaeam, et Cap-

damus ad montem Domini, et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas; et ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem. Isai. II. 2. et seq.

Quam pulchri super montes pedes annuntiantis, et praedicantis pacem!.. Vox speculatorum tuorum: levaverunt vocem, simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, cum converterit Dominus Sion...... Iste asperget gentes multas, super ipsum continebunt reges os suum, quia, quibus non est narratum de eô, viderunt, et qui non audierunt, contemplati sunt. Isai. LII. 7. et 15.

Et mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam, et Lydiam tendentes sa- padociam etc. *Stans autem Petrus cum undecim levavit vocem suam, et locutus est eis.:... Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt, et appositae sunt in die illa animae circiter tria millia....... Dominus autem augebat, qui salvi fierent quotidie in idipsum. Act. II. 5. 14. 41. 47.*

Multi autem eorum qui audierant verbum, crediderunt, et factus est numerus virorum quinque millia Act. IV. 4.

Igitur qui dispersi erant, pertransibant evangelizantes verbum Dei. Philippus autem descendens in civitatem Samariae; praedicabat illis Christum........ Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Iesu

gittam, in Italiam, et Graeciam, ad insulas longe, ad eos qui non audierunt de me, ct non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam gentibus, et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus, donum Domino. Isai. LXVI. 19. et seq.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius praedicans praeceptum eius. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae. Psal. II. 6. et seqq.

Reminiscentur, et convertentur ad Dominum universi fines terrae, et adorabunt in conspectu eius universae familiae

Christi baptizabantur viri, ac mulieres. . . . Et illi quidem testificati, et locuti verbum Domini redibant Ierosolymam, et multis regionibus Samaritanorum evangelizabant. Act. VIII. 4. 12. 25.

Erant autem quidam ex eis viri Cyprii, et Cyrenaei, qui cum introissent Antiochiam, loquebantur et ad Graecos. . . . . multusque numerus credentium conversus est ad Dominum. Act. XI. 20. 21.

Tunc constanter Paulus, et Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, et indignos vos iudicatis aeternae vitae, ecce convertimur ad gentes: Sic enim praecepit nobis Dominus: Po-

gentium; quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium. Ps. XXI. 28. et seq.

Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.... Adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient ei...... et benedicentur in ipso omnes tribus terrae, omnes Gentes magnificabunt eum. Psal. q. LXXI. 8. 11. et 17.

Et erit in loco, ubi dicetur eis: Non populus meus vos, dicetur eis: Filii Dei viventis. Osee I. 10.

Et dicam non populo meo: populus meus es tu. Osee II. 24.

sui te in lucem Gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terrae etc. Act. XIII. 46. et seqq.

Transeuntesque Pisidiam, venerunt in Pamphyliam, et loquentes verbum Domini in Perge, descenderunt in Attaliam, et inde navigaverunt Antiochiam etc. Act. XIV. 23. et seqq.

Illi ergo deducti ab Ecclesia, pertransibant Phoenicem, et Samariam, narrantes conversionem Gentium. Act. XV. 3.

Ita ut ab Ierusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium Christi. Rom. XV. 19.

IUDAEI REIECTI AC DISPERSI.

Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva. Effunde super eos iram tuam, et furor irae tuae comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Psal. LXVIII. 24. et seqq.

Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus; plenus sum; holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum, et agnorum, et hircorum nolui.... Ne offeratis ultra sacrificium frustra; incensum abominatio est mihi; Neomeniam, et Sabbatum, et festivitates alias non feram; iniqui sunt coetus vestri. Calendas vestras, et solemnitates vestras

Cum ergo venerit Dominus vineae, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi: Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. Matth. XXI. 40. 41.

Videte ergo, ne superveniat vobis, quod dictum est in Prophetis: Videte contemptores, et admiramini, et disperdimini; quia opus operor ego in diebus vestris, opus quod non credetis, si quis enarraverit vobis. Act. XIII. 40. et seq.

odivit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens etc. Isai. I. 11. et seqq.

Quid est quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei? An quod expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas? Et nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineae meae: Auferam sepem eius, et erit in direptionem; diruam maceriam eius, et erit in conculcationem; et ponam eam desertam etc. Isai. V. 4. et seqq.

Quia dies multos sedebunt filii Israel sine Rege, et sine Principe, et sine Sacrificio, et sine Altari, et sine Ephod, et sine Theraphim. Osee III. 4.

Videntes autem turbas Iudaei, repleti sunt zelo, et contradicebant his quae a Paulo dicebantur, blasphemantes. Tunc constanter Paulus, et Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, et indignos vos iudicatis aeternae vitae, ecce convertimur ad gentes. Act. XIII. 45. et seqq.

Cumque invicem non essent consentientes, discedebant, dicente Paulo unum verbum: Quia bene Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam Prophetam ad Patres nostros dicens: Vade ad populum istum, et dic ad eos: Aure audietis, et non intelligetis, et vi-

dentes videbitis , et non perspicietis. Incrassatum est enim cor populi huius, et auribus graviter audierunt, et oculos suos compresserunt ; ne forte videant oculis , et auribus audiant , et corde intelligant , et convertantur, et sanem eos. Act. XVIII et seqq.

Non est mihi voluntas in vobis , dicit Dominus exercituum , et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda , quia magnum est nomen meum in Gentibus , dicit Dominus exercituum. Malach. I. 10. 11.

Nos autem praedicamus Christum Crucifixum , Iudaeis quidem scandalum, etc. I. Corinth. I. 23.

(1) Comparationem hanc longius, ac fusius prosequutus est Daniel Huetius , quem vide , si lubet, in Demonstr. Evang. rop. IX.

Ut autem argumentum hoc absolvamus, nihilque, quod illi opponat, Adversario relinquamus, duo demonstranda supersunt, citatas nempe prophetias pluribus saeculis rei exitum praecessisse, et historiam, quae res ita evenisse quomodo praedicta fuerunt, narrat, neminem confinxisse. Quod ad primum attinet, Iudaeos, qui nobis in Religionis materia adversantur, testes habemus locupletissimos. Ipsi enim non diffitentur Davidem psalmos suos mille circiter annis ante Christi adventum conscripsisse, octingentis vero prophetiam suam edidisse Oseam, post quem per tria fere saecula in lucem prodierunt ceterorum Prophetarum vaticinia, quorum postremus Malachias plusquam quinque ante Christum saeculis prophetavit. Nimirum huius argumenti vim sic egregie explicat Augustinus: *Propterea autem adhuc Iudaei sunt, ut libros nostros portent ad confusionem suam. Quando enim volumus ostendere prophetatum Christum, proferimus Paganis istas literas. Et ne forte dicant duri ad fidem, quia nos illas Christiani composui-*

mus, ut cum Evangelio, quod praedicamus, finxerimus Prophetas, per quos praedictum videretur quod praedicamus; hinc eos convincimus, quia omnes ipsae litterae, quibus Christus prophetatus est, apud Iudaeos sunt, omnes ipsas litteras habent Iudaei. Proferimus codices ab inimicis, ut confundamus alios inimicos. In Psal. LVI. n. 9. Et alibi: *Quis est Christus? dicit Paganus. Cui respondemus, Quem praenunciaverunt Prophetae. Et ille, Qui prophetae? Recitamus Isaiam, Danielem, Ieremiam, alios sanctos Prophetas, dicimus quam longe ante illum venerint, quanto tempore adventum eius praecesserint. Hoc ergo respondemus. Praevenerunt eum Prophetae, praedixerunt eum esse venturum...... Et ille, Vos, inquit, vobis ista finxistis, vidistis ea fieri, et, quasi ventura quae praedicta essent, in libris quibus voluistis, conscripsistis. Hic contra inimicos paganos, occurrit nobis aliorum testimonium inimicorum. Proferimus codices a Iudaeis, et respondemus, Nempe et vos, et illi, fidei nostrae estis inimici. Ideo*

sparsi sunt per gentes, ut alios ex aliis convincamus inimicis. Codex Isaiae proferatur a Iudaeis, videamus si non ibi lego « Sicut ovis ad immolandum ductus est » ...... Erubescat unus inimicus, quia codicem mihi ministrat alius inimicus. Tract. XXXVI. n. 7. in Ioan. Cap. VIII. Praeterea huius rei gravissimum testimonium Septuaginta Interpretum versio, quae duobus saltem ante Christi nativitatem saeculis scripta fuit, nobis praebet. In ea enim de Christo, eiusque Ecclesia eadem Prophetarum oracula nobis exhibentur. Quid quod ex hac versione praecipue Prophetarum dicta adversus Iudaeos Christus, et Apostoli citaverunt? Iudaeorum autem nemo illos falsitatis, et mendacii coarguit; immo citatas praedictiones, ut Davidis, Isaiae, ceterorumque Prophetarum, legitimos partus recognoverunt.

Quod ad alterum vero, novi Testamenti historia confingi nulla ratione potuit. Nimirum id fieri non potuit viventibus adhuc iis, qui rerum in hac historia narratarum testes fuerant. Res enim, quae enarrantur, non

olim, sed nuper acciderant; non in remotissima aliqua regione, sed in proxima civitate; non secreto, sed palam; non uno vel altero, sed plurimis testibus; ac praeterea eiusmodi erant res, quae omnium intererant Iudaeorum, Gentilium, privatorum, Magistratuum, laicorum, Sacerdotum. Nihil igitur facilius, quam fraudem vel minimam detegere. Nec fieri quidem potuit id illis, coram quibus res contigerant, iam vita functis. Quis enim contra rerum tam novarum repentinam narrationem non reclamasset? Iudaei praesertim, quorum in Christum, et in Apostolos impia facinora exponit Novi Testamenti historia, haec, si falsa et conficta fuissent, impune narrari nunquam passi essent. Quid vero Gentiles, qui Deorum cultum tali historia omnino evelli, ac destrui observabant?

PRAECIPUA VERO

QUAE

CHRISTUS IPSE PRAEDIXIT,

ET QUAE

EVENERUNT ITA UT AB EO PRAEDICTA FUERANT,

SUBIECTUS ΠΑΡΑΛΛΗΛΙΣΜΟΣ EXHIBET.

IUDAE ISCARIOTIS PRODITIO, TRINA PETRI NEGATIO, PROPRIA PASSIO, MORS, RESURRECTIO.

Amen Amen dico vobis: quia unus ex vobis tradet me...... Dicit ei Discipulus (quem diligebat Iesus) Domine, quis est? Respondit Iesus: ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Iudae Simonis Iscariotae. Ioan. XIII. 21.

Dicit ei Petrus: Quare non possum te sequi modo? Animam meam pro te ponam. Respondit Iesus: Animam tuam pro me pones? Amen Amen dico tibi: non cantabit gallus, donec ter me neges. Ioan. XIII. 3. 7. 3. 8.

Ecce ascendimus Ierosolymam, et Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, et Scribis, et condemnabunt eum morte, et tradent eum Gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum, et tertia die resurget. Matth. XX. 18. 19.

Admirandae doctrinae suae propagatio.

Cui assimilabimus Regnum Dei? aut cui parabolae comparabimus illud? sicut granum sinapis, quod quum seminatum

fuerit in terra, minus est omnibus seminibus, quae sunt in terra ; et quum seminatum fuerit ascendit, et fit maius omnibus oleribus, et facit ramos magnos, ita ut possint sub umbra eius aves coeli habitare. Marc. IV. 30. et seqq.

Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Ioan. XII. 32.

Amen dico vobis ubicumque praedicatum fuerit hoc evangelium in toto mundo, dicetur et quod haec fecit in memoriam eius. Matth. XXV.

Accipietis (ait ad Apostolos) virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem, et in omni Iudaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae. Act. I. 8.

Cavete autem ab ho-

minibus; tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos; et ad Praesides, et ad Reges ducemini propter me in testimonium illis, et gentibus. Quum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini; non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium, et insurgent filii in parentes. et morte eos afficient; et eritis odio omnibus propter nomen meum. Matth. X. 17. et seqq.

Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est servus ma-

ior Domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur. Ioan. XV. 20.

Absque Synagogis facient vos; sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo. Ibidem. XVI. 2.

IUDAEORUM REIECTIO, GENTIUM VOCATIO.

Dico autem vobis, quod multi ab oriente, et occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Iacob, in Regno Coelorum, filii autem Regni eiicientur foras. Matth. VIII. 12.

Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis Regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius. Matth. XXI. 48.

Templi excidium ; Urbis obsidio , et eversio.

Et quum egrederetur de Templo, ait illi unus ex discipulis suis : Magister, aspice quales lapides, et quales structurae. Et respondens Iesus ait illi: vides has omnes magnas aedificationes? non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur. Marc. XIII. 1. 2.

Iudaicae gentis clades , et dispersio.

Et ut appropinquavit ; videns civitatem flevit super illam, dicens: Quia si cognovisses et tu , et quidem in hac die tua , quae ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te , et coangustabant te undi-

que : et ad terram prosternent te, et filios tuos qui in te sunt, et non relinquent lapidem super lapidem Luc. XIX. 41.

Quum autem videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote, qnia appropinquavit desolatio ejus; tunc qui in Iudaea sunt, fugiant ad montes, et qui in medio ejus, discedant; et qui in regionibus, non intrent in eam; quia dies ultiones hi sunt, ut impleantur omnia, quae scripta sunt; vae autem praegnantibus, et nutrientibus in illis diebus. Erit enim pressura magna super terram, et ira populo huic: et cadent in ore gladii; et captivi ducentur in omnes gentes; et Ierusalem calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora nationum. Luc. XXI. 20 et seqq.

ECCLESIAE, EIUSQUE VISIBILIS CAPITIS STABILITAS INEXPUGNABILIS.

Ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Matt. XXI. 18.

OMNIA HAEC AUTEM EO MODO EVENISSE; QUO CHRISTUS PRAEDIXERAT, HISTORIA TUM SACRA TUM PROFANA EVIDENTISSIME COMPROBAT, ET EORUM PLERAQUE NOSTRIS IPSI OCULIS CONSPICIMUS.

PROPOSITIO II.

Revelatae doctrinae veritatem divinam ostendunt miracula.

Prob. Miraculum scilicet, ut ex ipsa, quam mox dabimus, illius definitione constat, opus omnino divinum est: quapropter non potest non esse divina, quae miraculis confirmatur, doctrina. Miraculum enim dicitur, *quidquid fit praeter ordinem totius naturae.* Ad constituendum igitur veri nominis miraculum, illud omnino requiritur, quod nempe tale opus sit, cuius causa in toto naturae ordine reperiri nequeat. Quod namque causam habet in ipso naturae ordine, nunquam miraculum recte appellabitur. Ad rem Angelicus Doctor: *Nomen miraculi ab admiratione sumitur. Admiratio autem consurgit, cum effectus sunt manifesti, et causa occulta: sicut aliquis admiratur, cum videt eclipsim Solis, et ignorat causam, ut dicitur in principio Metaphysicae. Potest autem causa effectus alicuius ap-*

parentis alicui esse nota, quae tamen est aliis incognita. Unde aliquid est mirum uni, quod non est mirum alii: sicut eclipsim solus miratur rusticus, non autem Astrologus. Miraculum autem dicitur, quasi admiratione plenum, quod scilicet habet causam simpliciter, et omnibus occultam. p. I. q. CV. a VII. c. (1). Porro hac

---

(1) Quod vero ad varia miraculorum genera spectat, sic loquitur idem Angelicus: *Dicendum, quod nihil potest dici miraculum ex comparatione potentiae divinae: quia quodcunque factum divinae potentiae comparatum, est minimum secundum illud Isaiae*: Ecce gentes quasi stilla situlae, et quasi momentum staterae reputatae sunt. *Sed dicitur aliquid miraculum per comparationem ad facultatem naturae, quam excedit. Et ideo secundum quod magis excedit facultatem naturae, secundum hoc maius miraculum dicitur. Excedit autem aliquid facultatem naturae tripliciter. Uno modo quantum ad substantiam facti: sicut quod duo corpora sint simul; vel quod Sol retrocedat; aut quod corpus humanum glorificetur: quod nullo modo natura facere potest. Et ista tenent summum gradum in*

definitione posita, Deum esse solum miraculorum auctorem iam patet. Nam praeter totius Naturae ordinem nihil aliud, nisi Deus,

---

miraculis. Secundo aliquid excedit facultatem naturae, quantum ad id, quod fit, sicut resuscitatio mortuorum, et illuminatio caecorum, et similia. Potest enim natura causare vitam, sed non in mortuo; et potest praestare visum, sed non caeco. Et haec tenent secundum locum in miraculis. Tertio modo excedit aliquid facultatem naturae, quantum ad modum, et ordinem faciendi; sicut, cum aliquis subito per virtutem divinam a febre curatur absque curatione, et consueto processu naturae in talibus, et cum statim aër divina virtute in pluvias densatur absque naturalibus causis; sicut factum est ad preces Samuelis, et Eliae. I. Reg. XII. et III. Reg. XVIII.). *Et huiusmodi tenent infimum locum in miraculis. Quaelibet tamen horum habent diversos gradus, secundum quod diversimode excedunt facultatem naturae.* p. I. q. CV. a VIII. a. Alii duplex distinguunt miraculorum genus, nempe *primi*, et *secundi ordinis*. In priore genere miracula, quae primo, et secundo loco nominat Angelicus, includunt; in altero autem, quae tertio loco ponit idem S. Doctor.

est (1). Ut vero doctrina haec contra Spinozam, aliosque incredulos, qui ab illo sophi-

---

(1) Nullius momenti est, quod miraculorum veritati adversarii obiectant: non posse scilicet omnino, quaenam opera veram miraculi rationem habeant, definiri; cum non omnes naturae vires nobis innotescant, atque ideo in naturae ordine facile contineri possit, quod praeter totius naturae ordinem fieri primo intuitu videtur. Prorsus enim falsum est omnes omnino naturae vires nobis esse cognoscendas, ut miracula discernere possimus. Quum namque certum exploratumque sit naturae vires finitas esse; opus quod non alia virtute, quam infinita effici potest, certo certius praeter totius naturae ordinem fit: atqui talia profecto sunt opera, quae miracula appellamus; solius enim infinitae virtutis est finem nullo adhibito medio, vel mediis omnino oppositis, adsequi. Praeterquamquod etiamsi, quod falso supponunt adversarii, concedere tantisper velimus, illud maximum miraculorum esset, quod homines naturalium scientiarum imperitissimi, ut maxima pars eorum fuit, qui miracula ediderunt, tam perspectas haberent naturae vires, et nullus unquam vel celebratissimorum Philosophorum, immo ne omnes quidem Philosophi aeque ac illi noverint.

smata mutuati sunt, magis magisque confirmetur, notandum est falsas omnino esse tres illas propositiones, quibus veluti fundamento nititur tota illius doctrina contra miraculorum veritatem: primam nempe, naturam solam esse rerum omnium effectricem: alteram, miraculis Naturae leges violari: tertiam, nihil effici posse, quod in naturae legibus causam non habeat. In prima enim, et

---

Quamobrem dum miracula *patentiae* destruere conantur, miracula *sapientiae* non minus divina, quam illa, adstruere coguntur. Nullius item momenti quod de daemonum viribus opponunt miraculorum Adversarii. Daemones enim miracula facere non posse ex iam demostratis satis aperte constat. Possunt quidem daemones mira quaedam efficere, quae miraculi speciem habeant. Sed primo a veritate longe multumque distat, ac probe dignoscitur simulatio. Deinde adversus propria studia vires suas non exserunt certe quidem daemones. Denium, quum daemones sine Dei venia nihil agere possint, sapientissimus ac clementissimus Deus hominibus sine ulla culpa per daemones illudi permittere nequit, quin ipse in errorem trahat inextricabilem; quod est absurdissimum.

tertia Deus cum natura confunditur, quod esse absurdum qui vel prima Metaphysicae principia novit, iam intelligit. Ad alteram vero quod adtinet, miraculis naturae leges non destruuntur; nam in miraculorum effectione nihil agit natura, nihilque patitur, sed operatur solus Deus qui virtute infinita pollet (1), atque infinita libertate naturam, eiusque leges condidit. Quod si Philosophorum, ac Theologorum quidam miracula contra naturae leges fieri adfirmarunt, non eo sensu, quo Spinoza, hac phrase usi sunt, sed quo Augustinus nobilissimus ille Philosophorum, ac Theologorum princeps, qui totum hoc argumentum paucis

(1) Ut res exemplis clarior fiat; violantur ne quaeso naturae leges, si alicuius machinae artificio in sublime tollatur homo, ita ut propriae gravitatis pondere in terram non decidat? Cur ergo violantur, cum nullius machinae artificio, sed sola Dei virtute hoc ipsum contingit? Num destruuntur naturae leges, si corpore aliquo opaco inter solem, et tellurem interposito, solarium radiorum lux ad nos usque non perveniat? Quomodo igitur destruuntur cum eidem officit virtute sua, qui omnia potest, Deus?

verbis sic mirifice illustravit: *Deus autem creator, et conditor omnium naturam facit: id enim erit cuique rei naturale, quod ille fecerit, a quo est omnis modus, numerus, ordo naturae..... Sed contra naturam non incongrue dicimus aliquid Deum facere, quod facit contra id, quod novimus in natura. Hanc enim etiam appellamus naturam, cognitum nobis cursum, solitumque naturae, contra quem Deus cum aliquid facit, magnalia vel mirabilia nominantur. Contra illum vero summam naturae legem, a notitia remotam, sive impiorum, sive adhuc infirmorum, tam Deus nullo modo facit, quam contra seipsum non facit.* Lib. XXVI. contra Faust. Cap. III. Quum ergo miracula solus Deus efficere possit, divina prorsus est doctrina, quae miraculis confirmatur. Atqui eiusmodi est revelata doctrina, multa enim miracula per Moysen, et Prophetas, multa per Christum, et Apostolos edita nobis enarrat tum veteris, tum novi Testamenti historia. Hanc vero historiam *authenticam* omnino esse, nullus datur ambigendi

locus, sive eius auctores, sive res ipsas, quae narrantur, consideres. Auctores namque historiae huius viri sunt. I. candore ac ingenuitate adeo praestantes, ut propriam quoque imbecillitatem, immo proprias culpas referre non dubitent, ideoque a fingendi arte maxime alieni. II. pacis, ac tranquillitatis amici, qui suos etiam hostes diligunt, ac propterea fallendi minime capaces. III. viri, qui nihil utilitatis ex ea, quam conscribunt, historia percipiunt, quinimo maximis afficiuntur damnis, ac morte ipsa plectuntur. IV. viri demum, qui veraces habentur eo ipso tempore, quo quisque factorum, quae narrant, falsitatem ipsis obiicere, atque exprobrare poterat. Res autem, quas historia haec exhibet, tanti momenti sunt, ut ne unus quidem iis fidem adhibuisset, nisi earum veritas tam certa, ac explorata fuisset, ut nulla ratione posset in dubium revocari: tot praeterea, tantisque adiunctis res ipsae circumscribuntur, ut earum falsitatem nullo negotio quilibet illico deprehendere potuisset.

APPENDIX.

De sacrarum scripturarum γνησιοτητι, genuinitate, atque integritate.

Quum argumento iam allato, ceterisque deinceps afferendis maiorem addat vim, ac novum robur librorum, quos Sacras Scripturas appellamus, γνησιοτης genuinitas, atque integritas; de his in hac Appendice aliquod attingemus.

§. 1. Γνησιος, germanus dicitur liber, qui ab eo Auctore scriptus fuit, cuius nomen prae se fert; integer vero appellatur, quum in eo reperitur id quod ab Auctore scriptum fuit, cui scilicet nihil additum, nihil demtum, in quo nihil immutatum fuit. Germano opponitur supposititius liber; integro corruptus, vel interpolatus.

§. 2. Regulas, quas Critici tradunt ad germanos et integros libros a supposititiis atque interpolatis discernendos, norunt omnes. Scilicet pro germanis habendi sunt libri, qui eorum nomina praeferunt, quibus

inscribuntur in vetustioribus Codicibus, et a coaevis, vel proxime sequentibus Scriptoribus, et ab ipsa saeculorum succedentium serie; pro integris vero qui eam continent materiam, quam antiquiora Manuscripta exhibent, vetusti Scriptores memorant, et quae nihil complectatur, quod Auctoris ingenio, eiusque sentiendi modo, ceterisque adiunctis repugnet.

PROPOSITIO.

Germani, et integri sunt libri, quos Sacrarum Scripturarum nomine appellamus.

Prob. 1. eodem argumento, quo ceteros omnes libros germanos, ac integros a suppostitiis et interpolatis secundum regulas iam citatas dignoscunt, ac pro talibus certo certius habent Critici vel severissimi. At saeculorum omnium testimonio germani, et integri declarantur Sacri libri. Ergo tales profecto sunt. Hoc argumentum egregie pertractat Augustinus, et illud, quod mox subiungemus, perbelle innuit his verbis :

Infelices inimici animae vestrae, quae unquam litterae ullum habebunt pondus auctoritatis, si Evangelicae, si Apostolicae non habebunt? De quo libro certum erit, cuius sit, si litterae, quas Apostolorum dicit, et tenet Ecclesia, ab ipsis Apostolis propagata, et per omnes gentes tanta eminentia declarata, utrum Apostolorum sint, incertum est? . . . . . Hos autem libros, quibus illi, qui de transverso proferuntur, comparati respuuntur, unde constat esse Hippocratis; unde si quis hoc neget, nec saltem refellitur, sed ridetur, nisi quia sic eos ab ipso Hippocratis tempore, usque ad hoc tempus, et deinceps successionis series commendarit, ut hinc dubitare dementis sit? Platonis, apposite Augustinus, *Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque eiusmodi Auctorum libros, unde noverunt homines, quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua?* Adv. Faustum lib. XXXIII. cap. VI.

Prob. 2. argumentis quibusdam peculia-

ribus, quae videlicet in libris sacris tantum locum habent, ideoque horum librorum γνησιότητα, ac integritatem nova quadam, et singulari evidentia comprobant. Eiusmodi argumentorum primum illud est, quod res maximi, et gravissimi momenti tales libri comprehendant. Si enim de antiqui foederis Scripturis sermo sit, in hisce libris continetur quidquid ad universae Hebraeorum gentis non modo religionem, sed etiam politicum regimen, totamque gentis originem, progressus, perfectionem, gloriam, ceteraque omnia, quae quovis modo ad gentem ipsam pertinent: nec non universae Historiae, antiquioris praesertim germina. Si vero de novi testamenti Scripturis sermonem instituamus, in eiusmodi libris historia, ac doctrina illa continetur, quae novam Mundo invexit Religionem, omnibus inveteratis iam superstitionibus omnino contrariam. Religionem, inquam, omnibus hominum cupiditatibus reluctantem, quam et sapientia mundana, et armis aggressi sunt tum Philosophi celeberrimi, tum potentissimi

Imperatores ut vel a fundamentis convellerent. Talium ergo librorum suppositio, et interpolatio fieri nullo prorsus modo potuit. Alterum argumentum ex ipsa inimicorum contestatione eruimus. Iudaei enim quamquam Christianae Religionis hostes infensissimi sacros veteris testamenti libros, qui huius Religionis veritatem divinam, eorumque caecitatem obstinatissimam evidentissime evincunt, pro germanis ac integris habent. Similiter haeretici, qui singulis saeculis ab Ecclesia Christi condita ad nos usque aliqua Christianae doctrinae capita impugnarunt, nihilo tamen minus ut germanos ac integros novi testamenti libros laudarunt. Tertium argumentum suppeditant innumera sacrorum Codicum manuscripta, quae per varias orbis gentes disseminata, et in varias linguas versa, et centies milliesque typis edita germanorum, integrorumque operum locum semper tenuerunt. Quartum denique argumentum illud est, quod fieri omnino non potuit, ut eiusmodi libri falso Auctori supponerentur, vel corrumperentur. Acci-

dere enim prorsus nequibat, ut omnes omnino Iudaei, ac Christiani prorsus omnes, apud quos libri ipsi summo studio servabantur, in hoc opus conspirarent; et quaelibet fraus tum mira exemplarium copia, ac varietate, tum mirifica inimicorum vigilantia, tum demum ipso talium librorum momento statim detecta fuisset. Itaque veteris, et novi testamenti Scripturarum γνησιοτης, ac integritas meridiana luce clarius effulget.

Propositio III.

Revelatae doctrinae veritatem ipsius doctrinae divina sublimitas ostendit (1).

Prob. Haec enim doctrina nihil continet,

---

(1) Revelata doctrina tres in partes distribui potest, speculativam scilicet, practicam, et ritualem. De priore heic loquimur; de altera, et tertia in Propositione, quae sequitur, verba faciemus. Eiusmodi autem partes adeo sunt inter se connexae, ut una in alteram influat, et ab altera divelli nequeat.

quod rectae rationi opponatur ; omnia vero comprehendit , quae ad veram Religionem constituendam necessaria sunt, Quod ad primum adtinet, increduli tum veteres , tum recentes, absurditatem in Mysteriis, quae complectitur revelata doctrina , reperire totis viribus conati sunt. At omnes eorum conatus irriti semper vanique fuerunt ; singulis enim ipsorum difficultatibus revelatae doctrinae patroni adeo plene respondérunt, ut in Mysteriis nihil esse absurdi evidentissime pateret. Quod si Mysteria humanae rationis captum superant, quod quidem non diffitemur ; id absonum non est, immo ipsis rectae rationis principiis maxime consonum, Quid enim evidentius cognoscit humana ratio hac veritate , suas scilicet vires limitibus esse circumscriptas , Dei vero naturam infinitam esse; ideoque tam verum atque consonum esse, quod Mysteria , quae ad Dei Naturam pertinent , incomprehensibilia sint , quam falsum et absonum , quod finitum evadat infinitum , vel vice versa infinitum fiat finitum ? Quod ad alterum autem , veram Dei , et homi-

nis, nec non rationis inter hunc, et illum intercedentis ideam tradit haec doctrina; deinde quonam modo Deus ab homine et interius, et exterius colendus sit, explanat; quo demum pacto post iniuriam culpa illatam sit Deus ipse placandus, aperit.

Nimirum quam egregie in Sacris libris Deus unus (1), aeternus, immutabilis, omnia intelligens, immensus, omnipotens, sanctissimus, providentissimus, iustissimus, uno verbo perfectissimus passim praedicatur! Quam recta, ac simplici narratione rerum omnium, quae adspectabilem hunc Mundum

(1) Illud notatione, animadversioneque dignum, quod, quum inter cultissimas quoque orbis universi gentes dominaretur absurdissimus polytheismus, sola Hebraeorum gens, quae in obscuro angustoque terrae angulo, scientiarum artiumque cultura minime celebris, commorabatur, Dei unitatem generatim profiteretur. Ita enim veram Dei notitiam non nisi ex doctrina divinitus revelata Hebraeos hausisse apertissime ostenditur, ac demonstratur.

componunt, hominisque earum principis creationem solius Dei efficacissimo verbo factam exponunt (2)! Quam bene ac praeclare nativa hominis excellentia; miseranda, atque in posteros omnes derivata ob primi parentis culpam ruina; remedium denique tam gravi,

(2) Si celebratissimos Platonis, divini nempe Philosophi, dialogos de Mundi origine cum primo Geneseos capite, ubi de rerum creatione loquitur Moses, comparare velis, quanta nempe est differentia! In illis scilicet confusa permixtaque disputatio, longus et obscurus verborum circuitus, non paucae rationi repugnantes sententiae occurrunt; in hoc vero mira narrationis perspicuitas, praeclara sententiarum brevitas, omnia rationi congrua. Sublimem vero, aeque ac simplicem dicendi modum, quo Mundi creationem narrat Moses, non potuit non admirari Dionysius ipse Longinus, Ethnicus scriptor, qui *de Sublimitate* celebratissimum commentarium scripsit. *Ille Iudaeorum Legislator*, (en eius verba) *vir minime vulgaris, postquam potentiam Numinis, pro dignitate eius, mente concepit, etiam declaravit, statim in principio legum scribens*: Dixit Deus, *inquit, Quid?* Sit lux, et fuit; sit terra, et fuit. De sublimitate cap. IX.

et communi malo a Deo ipso exhibitum describitur!

PROPOSITIO IV.

Revelatae doctrinae veritatem ostendit eiusdem doctrinae ad optimos mores conformandos divina accommodatio.

Prob. I. ex praemii, et poenae firmitate. Nam circa animorum immortalitatem, futuramque aeternam vitam, quae optimorum morum conformandorum est basis, ac fundamentum (1); et quam Philosophorum

(1) Si enim una cum corpore anima quoque moritur, nullus certe quidem erit bonis moribus locus; siquidem tunc quidquid praesentem hanc vitam et longiorem, et commodiorem reddere potest, etiamsi probis moribus adversetur, bonum reputabitur; quidquid vero vitam hanc ipsam vel breviorem, vel minus commodam, ac delectabilem efficere valet, etiamsi bonis moribus consonum fuerit, malum censebitur. Itaque nullum erit amplius inter virtutem, et vitium discrimen, immo

alii prorsus negarunt (1), alii nonnisi dubitando enunciarunt, inter quos celebratissimi quoque sunt numerandi (2), nullum ambi-

---

virtutis locum vitium occupabit, et vice versa vitii locum tenebit virtus ; quod sane morum disciplinam non modo perturbat, ac confundit, sed a fundamentis evertit, ac destruit.

(1) Inter hos nimirum recensendi Epicurei, quos olim Sadducaei, et nostra aetate sequuti sunt falsi nominis Philosophi.

(2) Quinam Platone, qui Philosophi divini nomen obtinuit, et Socrate, quem Plato ipse maximi fecit, magis in Philosophia celebres? Attamen Socratem de animorum immortalitate, atque alterius vitae veritate dubitantem inducit Plato : *Hoc sciatis, spem mihi esse venturum me ad viros bonos, quod tamen non nimium affirmaverim... Si enim vera sunt, quae dico, pulchrum est ea credere. Si vero mortuo nihil superest, hoc tamen tempore, quod mortem antecedit, minus torquebor praesentibus: hic autem meus error non manebit (id enim malum foret), sed paulo post interibit.* In Phaedone. pag. 63. et seqq. Edit. Serrani. Idem de Socrate confirmat Tullius, qui haec verba eum morti proximum

gendi locum relinquit revelata doctrina, quae homini virtutibus exercendis dedito pleuae aeternaeque felicitatis in Dei visione positae praemium nobilissimum sine ulla haesitatione proponit. Nec animos tantum bonis moribus excultos, sed corpora quoque novissimo mundi die per divinam virtutem a morte revocanda, in sempiternum aevum fore beata certo certius

---

protulisse narrat: *Sed tempus est, inquit, iam hinc abire me, ut moriar; vos ut vitam agatis. Utrum autem sit melius, dii immortales sciunt, hominem quidem scire arbitror neminem.* Tusculan. lib. I. cap. XLI. Simili ratione quemdam interrogantem inducit citatus latinae Philosophiae princeps: *Expone igitur mihi, nisi molestum est, primum animos, si potes, remanere post mortem; tum si id minus obtinebis (est enim arduum), docebis carere omni malo mortem.* Tusculan. Lib. I. cap. XII. Non aliter Philosophus moralis: *Et fortasse (si modo sapientium vera fama est, recipitque nos locus aliquis), quem putamus perisse, praemissus est.* Epist. LXIII.). Itaque non immerito de hisce veritatibus verba faciens concludebat Iustinus Martyr: *Nihil igitur horum norunt illi Philosophi, neque enim, quid sit anima, valent dicere.* Dial. cum Tryphone. n. 5.

promittit. Ut autem optimis moribus conformandis aptissimum est aeternae, beataeque vitae propositum virtuti praemium; ita etiam opportunissima aeternae, ac aerumnosae vitae comminata vitio poena. Haec autem poenae comminatio, aeque ac praemii promissio, tam aperte ac frequenter in revelata doctrina leguntur, ut nihil magis.

Prob. II. ex praeceptorum excellentia, ac sanctitate. Quid enim ad superbiam, vitiorum omnium radicem altissimam, evellendam, effraenatasque cupiditates cohibendas tam aptum et efficax, quam illud Christi praeceptum: *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.* Matth. XI. 29. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* ibid. XVI. 24. nec non eiusdem Christi exemplum, *qui, quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo: humiliavit se-*

metipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: Philipp. II. 6. et seqq. Quid vero duplici illo praecepto, in quo revelatae legis tota vis consistit, magis sanctum, et praestans: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua; et proximum tuum, sicut teipsum?* Luc. X. 27. Nimirum, ut nonnulla de utroque amore perstringamus, in priore, quod honorem Deo debitum spectat, nihil rationi adversum, immo cultus rationi maxime conveniens occurrit. Spiritus namque purissimus est verus Deus, ideoque in spiritu, et veritate colendus, mente scilicet pura et corde sincero: perfectissimus est Deus, atque ideo prae omnibus bonis diligendus: totius hominis, animae scilicet, et corporis Auctor, ac ideo ab homine non mente tantum et corde, sed corpore quoque, eiusque viribus honorandus. In secundo (1) autem efficacissima exhibetur

(1) Quod sane praeceptum ut magis magisque commendaret, in extremo sermone, quem cum suis ha-

ratio, qua nihil alteri unquam faciamus, quod factum nobis nolimus, et omnia pro viribus praestemus aliis, quae nobis praestita velimus; nec non libenter acceptas a nobis iniurias aliis condonemus, sicut et ipsi illatas a nobis iniurias ab aliis condonari optamus. At de iniuriarum venia facile concedenda, et de vera ac perfecta amicitia cum inimicis quoque servanda expressius, ac illustrius in revelata doctrina praeceptum reperimus; siquidem his verbis praescribitur: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos.* Atque eiusmodi dilectionis exemplar sese Deus ipse proponit: *Ut sitis filii patris vestri*, inquit, *qui in coelis est, qui solem suum oriri facit super bonos, et malos; et pluit super iustos*,

buit, his verbis inculcavit: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Ioan. XIII. 34. 35.

et iniustos. Matth. V. 44, et seq. nec non efficacissima conditione talis dilectionis praeceptum confirmat, ubi aperte pronuntiat: *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis pater vester coelestis delicta vestra: si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Matth. VI. 14 et seq. Peculiaria vero praecepta, quae diversis hominum officiis pro diverso eorum statu moderandis aptissima etiam in revelata doctrina continentur, percurrere nimis longum esset. Praecipua quaedam tantummodo adtingamus. Atque in primis coniugii, per quod hominum genus, civilisque societas propagatur, ac servatur, sanctitatem tum ipsa origine sua, tum Sacramenti ratione, quam illi addidit Christus, exponit; et coniugalem amorem sincerum stabilemque reddit saluberrima illa lege: ***Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam:*** Ephes. V. 25. Nefarias proinde libidines iam antea inter gentes omnes prorsus effusas non a corpore solum, sed a mente quoque arcendas iubet: *Haec est enim*

voluntas Dei sanctificatio vestra: ut abstineatis vos a fornicatione; ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, et honore; non in passione desiderii, sicut et gentes, quae ignorant Deum. I. Thessalon. IV. 3, 4, 5. *Honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus. Fornicatores enim, et adulteros iudicabit Deus.* Hebr. XIII, 4. *Fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.* Ephes. V. 3. *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo.* Matth. V. 28. Eadem ratione filiorum in parentes, ac parentum in filios officia clarissime explanat, ac firmissime statuit his verbis: *Filii obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim iustum est. Honora Patrem tuum, et Matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione, ut bene sit tibi, et sis longaevus super terram. Et vos Patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros: sed educate illos in disciplina, et*

correptione Domini. Ephes. VI. 1. et seqq. Item famulorum, dominorumque mutua officia definit: *Servi obedite dominis carnalibus cum timore, et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino, et non hominibus: scientes, quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber. Et vos Domini eadem facite illis, remittentes minas, scientes quia et illorum, et vester Dominus est in coelis: et personarum acceptio non est apud eum.* Ibidem 5, et seqq. Principum denique, subditorumque officia determinat his verbis: *Audite ergo, Reges, et intelligite; discite, judices finium terrae. Praebete aures vos, qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur. Quoniam cum*

essetis ministri Regni illius, non recte iudicastis, nec custodistis leges iustitiae, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende, et cito apparebit vobis quoniam iudicium durissimum his, qui praesunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia; potentes autem potenter tormenta patientur. Sap. VI. 2. et seqq. *Time Dominum, fili mi, et Regem; et cum dectractoribus non commiscearis: quoniam repente consurget perditio eorum, et ruinam utriusque quis novit?* Proverb. XXIV. 21, 22. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas, nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt: nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac; et habebis laudem ex illa: Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat; Dei enim*

minister est; vindex in iram ei, qui malum agit. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Rom. XIII. 1. et seqq.

Igitur argumentum hoc sententia Augustini concludamus, qui postquam duo illa generalia praecepta commemoraverit, peculiaria, quae ex illis ipsis enascuntur, perbelle paucis complectitur, et sic Catholicam Ecclesiam alloquitur: *Merito Ecclesia Catholica mater Christianorum verissima; non solum ipsum Deum, cuius adeptio vita est beatissima, purissime, atque castissime colendum praedicas; nullam nobis adorandam creaturam inducens, cui servire iubeamur; et ab illa incorrupta et inviolabili aeternitate, cui soli homo subiiciendus est, cui soli rationalis anima cohaerendo non misera est, excludens omne quod factum est, quod obnoxium commutationi, quod subditum tempori; neque confundens, quod aeternitas, quod veritas, quod denique pax ipsa distinguit; nec rursum separans, quod maiestas coniungit: sed etiam proximi di-*

lectionem, atque caritatem ita complecteris, ut variorum morborum, quibus pro peccatis suis animae aegrotant, omnis apud te medicina praepolleat. Tu pueriliter pueros, fortiter iuvenes, quiete senes; prout cuiusque non corporis tantum, sed et animi aetas est, exerces, ac doces. Tu feminas viris suis non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem, et ad rei familiaris societatem, casta, et fideli obedientia subiicis. Tu viros coniugibus, non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris legibus praeficis. Tu parentibus filios libera quadam servitute subiicis, parentes filiis pia dominatione praeponis. Tu fratribus fratres religionis vinculo firmiore, atque arctiore, quam sanguinis nectis. Tu omnem generis propinquitatem, et affinitatis necessitudinem, servatis naturae, voluntatisque nexibus, mutua caritate constringis. Tu dominis servos, non tam conditionis necessitate, quam officii delectatione doces adhaerere. Tu dominos servis summi Dei communis

Domini consideratione placabiles, et ad consulendum, quam coërcendum, propensiores facis. Tu cives civibus, gentes gentibus, et prorsus homines primorum parentum recordatione non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate coniungis. Doces reges prospicere populis, mones populos se subdere regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus disciplina, quibus obiurgatio, quibus supplicium, sedulo doces; ostendens quemadmodum et non omnibus omnia, et omnibus caritas, et nulli debeatur iniuria. De moribus Ecclesiae Catholicae Lib. I. Cap. XXX. n. 62 63.

Prob. III. Ex intentionis, qua recte agere nos iubet revelata Doctrina, sinceritate et constantia. Non enim alia ratione a vitio nos arcet, et ad virtutem incitat, nisi Deum, utpote immensum, ubique nobis praesentem exhibendo; *in ipso enim* (Deo) *vivimus, movemur, et sumus*, Act. XVII. 28. Deum, inquam, futurum iudicem non operum tan-

tum, sed etiam cogitationum, quem sane occulta non fallunt, indecora offendunt, honesta delectant. Quae quidem ratio quum unica sit, semperque eadem, humanis cupiditatibus generatim cohibendis frenos adhibet efficacissimos, perfectasque virtutes pariter fovet. Heroes enim illi, quos Graeca, Romanaque Historia maxime celebrat, virtutes ipsas cupiditatibus servire jusserunt, ut ex illis Poetae versibus concludit Augustinus:

.... Natosque Pater nova bella moventes
Ad poenam pulchra pro libertate vocabit
Infelix: utcumque ferent ea facta minores,
Vincit amor patriae, laudumque immensa cupido.

Haec sunt duo illa libertas, et cupiditas laudis humanae, quae ad facta compulere miranda Romanos (De civ. Dei Lib. V. cap. XVIII.). Quod sane non Bruti tantum, sed Torquati, Camilli, Scevolae, Curtii, Decii, Pulvilli, Reguli, aliorumque exemplis comprobat, atque confirmat.

Corollarium.

Ex dictis patet, civilibus societatis fovendis, earumque prosperitati promovendae nullam Religionem Catholica aptiorem esse, atque opportuniorem. Nulla enim alia vel vitiis arcendis, vel virtutibus procreandis efficaciora praebet auxilia. Mutuam vero caritatem, arctissimum nempe vinculum ad civium animos consociandos mirifice accommodatum, praecipuum, ac maximum Dei praeceptum omnibus praescribit, ac prae aliis virtutibus extollit, ac diligentissime commendat.

Antequam ad ulteriora progrediamur, aliqua heic de ritibus animadvertenda, in quibus revelatae doctrinae ad optimos mores conformandos divina accommodatio mirifice quoque relucet. Longe enim absunt a revelatae Religionis ritibus turpia illa omnia, atque horrenda facinora, quibus affluebant Gentilium sacra. Atque in primis illud est commemorandum, quod humani sanguinis effusione Deos placari censebant Idololatrae; quem

horrendum sane morem Graecia ipsa, ipsa Roma gentium omnium eruditissimae sequutae sunt, teste Plutarcho, Pausania, Dionysio Halicarnassensi, Plinio; quorum testimonia in re satis superque cognita afferre superfluum reor. Deinde silentio praetermittendae non sunt turpissimae illae obscenitates, quibus Bacchi praesertim, et magnae Numinum Matris Mysteria redundabant.

Nimirum de Liberi Sacris haec refert ex Varrone Augustinus : *In Italiae compitis quaedam dicit* (Varro) *sacra Liberi celebrata cum tanta licentia turpidinis, ut in eius honorem pudenda virilia colerentur; non saltem aliquantum verecundiore secreto, sed in propatulo exultante nequitia. Nam hoc turpe membrum per Liberi dies festos cum honore magno plostellis impositum, prius rure in compitis, et usque in urbem vectabatur. In oppido autem Lavinio uni Libero totus mensis tribuebatur, cuius diebus omnes verbis flagitiosissimis uterentur, donec illud membrum per forum transvectum esset, atque in loco suo quiesceret. Cui membro inho-*

nesto matrem-familias honestissimam palam coronam necesse erat imponere. Sic videlicet Liber Deus placandus fuerat proventibus seminum; sic ab agris fascinatio repellenda, ut matrona facere cogeretur in publico, quod nec meretrix, si matronae spectarent, permitti debuit in theatro. S. Aug. de civ. Dei Lib. VII. cap. XXI. De Bacchanalibus quoque haec scribit Livius; *Quum vinum animos, et nox, et misti foeminis mares, aetatis tenerae maioribus, discrimen omne pudoris extinxissent; corruptelae primum omnis generis fieri coeptae, cum ad id quisque, quo natura pronioris libidinis esset, paratam voluptatem haberet. Nec unum genus noxae: stupra promiscua ingenuorum, foeminarumque erant. Omnia infanda patienda primum, deinde facienda..... Ex quo in promiscuo sacra sint, et permisti viri foeminis, et noctis licentia accesserit: nihil ibi facinoris, nihil flagitii praetermissum, plura virorum inter sese, quam foeminarum esse stupra: si qui minus patientes dedecoris sint, et pigriores*

ad facinus, pro victimis immolari: nihil nefas ducere. Histor. Rom. Lib. XXXIX. cap. VIII, X, et XIII. De Magnae Matris vero sacris haec refert Augustinus: *Veniebamus etiam nos aliquando adolescentes ad spectacula, ludibriaque sacrilegiorum: spectabamus arreptitios, audiebamus symphoniacos; ludis turpissimis, qui diis deabusque exhibebantur, oblectabamur. Coelesti virgini et Berecynthiae matri omnium; ante cuius lecticam, die sollemni lavationis eius, talia per publicum cantitabantur a nequissimis scenicis, qualia non dico matrem deorum, sed matrem qualiumcumque senatorum, et quorumlibet honestorum virorum; immo vero qualia nec matrem ipsorum scenicorum deceret audire.* De Civ. Dei Lib. II. cap. IV. Et postea addit: *Vicit Matris magnae omnes Deos filios, non numinis magnitudo, sed criminis. Huic monstro nec Iani monstrositas comparatur. Ille in simulacris habebat solam deformitatem, ista in sacris deformem crudelitatem: ille membra in lapidibus addita, haec in homini-*

bus perdita. Hoc dedecus tot Iovis ipsius, et tanta stupra non vincunt: ille inter femineas corruptelas uno Ganymede coelum infamavit: ista tot mollibus professis et publicis et inquinavit terram, et coelo fecit iniuriam..... Quid sunt ad hoc malum Mercurii furta, Veneris lascivia, stupra ac turpitudines ceterorum, quae proferremus de libris, nisi quotidie cantarentur, et saltarentur in theatris? Sed haec quid sunt ad tantum malum, cuius magnitudo magnae Matri tantummodo competebat? Ibid. Lib. VII. cap. XXVI.

At nihil eiusmodi in Revelatae Religionis ritibus, sed omnia pura, omnia casta, omnia augusta. Unicum enim est Religionis huius sacrificium, Deo dignum, in quo idem ille Christus continetur, et incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit. Conc. Triden. Ses. 22, cap. 2. Septem vero sunt sacramenta, quod ad ritum, simplicissima, quod ad virtutem efficacissima, quibus fideles initiantur, ac Divinis rebus consortes fiunt; necnon uni-

versa fidelium societas multiplicatur ac regitur. Ac demum fidelibus omnibus praescribitur, ut Deo pro acceptis beneficiis gratias agant, et a Deo ipso ea, quibus indigent, humili ac supplici precatione poscant; *Modestia vestra*, inquit Apostolus, *nota sit omnibus hominibus: Dominus prope est: nihil soliciti sitis; sed in omni oratione, et obsecratione cum gratiarum actione, petitiones vestrae innotescant apud Patrem. Et pax Dei quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras in Christo Iesu. De cetero, fratres, quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate.* Philip. IV. 5. et seqq. Quod utique confirmat praxis fidelium, uti legitur in Act. Apost. -- *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus* -- II. 42.

Propositio V.

Revelatae doctrinae veritatem ostendit mira hominum in hac doctrina recipienda docilitas, in eaque retinenda constantia.

Prob. I. pars. Quod enim ad miram hominum in hac doctrina recipienda docilitatem, seu ad rapidam eiusdem doctrinae propagationem, testes habemus gravissimos tum sacros, tum profanos scriptores. Nimirum a primo usque Ecclesiae saeculo Evangelium tam longe lateque per orbem diffusum erat, ut Iustinus Martyr ita scripserit: *Nullum enim omnino genus est sive Graecorum, sive Barbarorum, sive quolibet nomine appellentur, vel Hamaxobiorum, qui in plaustris degunt, vel Nomadum, qui domibus carent, vel Scenitarum, qui pecora pascentes habitant in tentoriis, nullum, inquam, eiusmodi genus est, in quo non per nomen Crucifixi Iesu preces, et gratiarum actiones Patri, et Creatori universorum fiant.* Dial. cum Try-

ph. n. 117. Nec minus fidenter ad ipsos revelatae doctrinae hostes scribebat Tertullianus: *Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. Sola vobis relinquimus Templa et Germanorum, et Scytharum, et abditarum multarum gentium, et provinciarum. Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere? Potuimus et inermes nec rebelles, sed tantummodo discordes, solius divortii invidia adversus vos dimicasse.* Apolog. contra Idololat. cap. 37. Et alibi. *In quem alium universae gentes crediderunt, nisi in Christum, qui iam venit?.... Ut iam Getulorum varietates, et Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, et Galliarum diversae nationes, et Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita; et Sarmatarum, et Dacorum, et insularum multarum nobis ignotarum, et quae enumerare minus possumus?*

in quibus omnibus locis Christi nomen, qui iam venit, regnat, utpote ante quem omnium civitatum portae sunt apertae, et cui nullae sunt clausae, ante quem serae ferreae sunt comminutae, et valvae aereae sunt apertae .... Christi autem regnum et nomen ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus Gentibus supra enumeratis colitur, ubique regnat, ubique adoratur. Adver. Iudae. cap. 7. Eodem modo scribit S. Irenaeus Tertulliano antiquior : *Nam etsi mundi loquelae dissimiles sunt, virtus traditionis una et eadem est. Et neque hae quae in Germania sunt fundatae Ecclesiae aliter credunt, aut aliter tradunt: neque hae quae in Iberis sunt, neque hae quae in Celtis, neque hae quae in Oriente, neque hae quae in Aegypto, neque hae quae in Libya, neque hae quae in medio mundi sunt constitutae: sed sicut Sol, creatura Dei, in universo mundo unus et idem est, sic et lumen, praedicatio veritatis, ubique lucet, et illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitio-*

nem veritatis venire. Lib. I. cap. X. n. 2.

Profanorum autem Scriptorum locupletissimum testem habemus iuniorem *Plinium* Asiae Proconsulem, qui sic Traiano Imperatori scribit: *Cognitionibus de Christianis interfui nunquam; ideo nescio quid, et quatenus aut puniri soleat, aut quaeri. Nec mediocriter haesitavi, sit ne aliquod discrimen aetatum, an quamlibet teneri... ..... Visa est enim mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum, et vocabuntur. Neque civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est; quae videtur sisti, et corrigi posse. Certe satis constat, prope iam desolata templa coepisse celebrari, et sacra solemnia diu intermissa repeti, passimque venire victimas, quarum adhuc rarissimus emptor inveniebatur, ex quo facile est opinari, quae turba hominum emendari possit, si fiat poenitentiae locus.* C. Plin. Iun. Epistolar. lib. X. epist. 97.

Quum igitur brevi temporis spatio longe lateque diffusam fuisse Christi doctrinam, satis superque constet, illud ostendendum superest, eiusmodi scilicet diffusionem non nisi ope divina contingere potuisse. Atqui nihil magis facile, quam id demonstrare. Sive enim doctrinae indolem, sive illos qui talem doctrinam professi sunt, sive illos, qui eamdem praedicaverunt, spectes, solius divinae virtutis opus fuisse huius doctrinae propagationem evidentissime patebit. Nimirum, quod ad doctrinae indolem, Mosaicis ritibus abolitis, dogmata sensibus omnino impervia, et quae humana ratione nequaquam intelligi ac demonstrari possunt, pro indubitatis habenda; ac praecepta servanda, quae omnibus humanis cupiditatibus bellum indicunt, proponit Christi doctrina. Quod vero ad illos, quibus talis doctrina praedicari oportebat, homines erant aut Mosaicorum rituum tenacissimi, quales Iudaei; aut qui nihil pro certo habere vellent nisi quod vel sensibus subiaceret, vel ratione comprehenderetur, nihil efficere, quod cupiditatibus explendis repugnaret,

quales Gentiles. Eiusmodi autem hominibus, ut praedicta dogmata firmissime crederent, praeceptaque diligentissime observarent, persuadere, opus non modo maxime arduum ac difficile, sed vanum prorsus atque inane videbatur. Atqui hisce hominibus utrumque ita persuasum fuit, ut non pauci, sed innumeri omnis aetatis, omnis conditionis, non indocti tantum aut vulgares, sed etiam doctissimi ac nobilissimi hanc doctrinam receperint. Quod demum ad illos, qui tam abstrusam doctrinam hominibus omnino indocilibus tradiderunt, paucos eos fuisse, omnis humanae eruditionis expertes, nulla generis nobilitate praestantes, non vi, non armis praepotentes, nemo ignorat. Itaque Christi doctrinam non humana virtute, sed miraculis, aliisque argumentis, quae Deum hominibus verba facientem apertissime ostendunt, confirmatam, amplexati sunt tot, tantique tum Iudaeorum, tum Gentilium. Quod si nullo talium argumentorum convicti doctrinam ipsam tam facile receperunt; hoc ipsum utique miraculorum maximum esse nemo sanae mentis dubitabit.

Totum hoc argumentum perbelle concludit Augustinus his verbis: *Ecce iam credidit mundus sublatum terrenum Christi corpus in Coelum, resurrectionem carnis, et adscensionem in supernas sedes; paucissimis remanentibus, atque stupentibus, vel doctis, vel indoctis, iam crediderunt et docti, et indocti. Si rem credibilem crediderunt, videant quam sint stolidi, qui non credunt: si autem res incredibilis credita est, etiam hoc utique incredibile est, sic creditum esse, quod incredibile est... Et ipse modus, quo mundus credidit, si consideretur, incredibilior invenitur. Ineruditos liberalibus disciplinis, et omnino, quantum ad istorum doctrinas attinet, impolitos, non peritos grammatica, non armatos dialectica, non rhetorica inflatos, piscatores Christus cum retibus fidei ad mare huius saeculi paucissimos misit, atque ita et ex omni genere tam multos pisces, et tanto mirabiliores, quanto rariores, etiam ipsos Philosophos cepit..... Resurrectio certe Christi, et in Coelum cum carne in*

qua resurrexit adscensio, toto iam mundo praedicatur, et creditur; si credibilis non est, unde toto terrarum orbe iam credita est? Si multi nobiles, sublimes, docti eam se vidisse dixerunt, et quod viderunt, diffamare curarunt, eis mundum credidisse non mirum est; sed istos adhuc credere nolle perdurum est: si autem, ut verum est, paucis, obscuris, minimis, indoctis eam se vidisse dicentibus et scribentibus, credidit mundus, cur pauci obstinatissimi, qui remanserunt, ipsi mundo iam credenti adhuc usque non credunt? Qui propterea numero exiguo ignobilium, infimorum, imperitorum hominum credidit, quia in tam contemtibilibus testibus multo mirabilius divinitas se ipsa persuasit. Eloquia namque persuadentium, quae dicebant, mira fuerunt facta, non verba....... Si vero per Apostolos Christi, ut eis crederetur, resurrectionem atque adscensionem praedicantibus Christi, etiam ista miracula facta esse non credunt, hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quod eam terrarum or-

bis sine ullis miraculis credidit. De Civ. Dei. Lib. XXII. cap. V.

Prob. II. pars. Eorum namque, qui inter innumera, atque acerrima tormenta revelatam doctrinam professi sunt, Martyrum nempe, ingentem numerum, invictamque constantiam tum sacrorum, tum profanorum Scriptorum evidentissima testimonia comprobant. Nimirum, ut aliqua tantum, brevitatis amore, perstringamus (1), sic loquitur S. Iustinus: *Neminem autem esse, qui nos in Iesum per totum orbem terrarum credentes exterreat, et in servitutem redigat, in promtu est. Dum enim gladio percutimur, dum crucifigimur, dum feris tradimur, et vin-*

(1) Qui plura de hoc argumento legere cupit, Ruinart Praefationem generalem in Acta Martyrum §. III. perlegat, ubi doctus Auctor decem Christianorum persecutiones, quae vulgo recensentur a Nerone ad Diocletianum, percurrens plurimis monumentis ingentem fuisse Martyrum proprio sanguine Christi fidem obsignantium numerum contra Dodwellum ostendit.

culis, et igni, et omnibus aliis tormentis; a confessione, ut manifestum est, non discedimus. Sed quanto magis, magisque talia nobis infliguntur, eo plures alii per nomen Iesu fideles et pii fiunt. Quemadmodum vitis, si quis partes illas amputet, quae fructum ferunt, ita proficit, ut alios florentes, et fructiferos palmites rursus proferat; idem quoque nobis provenit. Plantata enim a Deo, et Salvatore Christo vitis, populus eius est. Dial. cum Tryph. n. 110. *Nec quicquam tamen*, sic Tyrannis obiicit Tertullianus, *proficit exquisitior quaeque crudelitas vestra, illecebra est magis sectae. Plures efficimur, quoties metimur a vobis. Semen est sanguis Christianorum.* Apologet. cap. L. Sic quoque Ecclesiae persecutores alloquitur S. Cyprianus: *Ecce id ipsum quale est, unde nobis vobiscum maxime sermo est, quod nos insectatis innoxios, quod in contumeliam Dei impugnatis atque opprimitis Dei servos.. .... Adhuc insuper Dei servos et maiestati ac nomini eius dicatos iniustis per-*

secutionibus fatigatis. Satis non est quod ipse tu Deum non colis: adhuc insuper eos qui colunt, sacrilega insectatione persequeris..... Innoxios, iustos, Deo caros domo privas, patrimonio spolias, catenis premis, carcere includis; gladio, bestiis, ignibus punis. Nec saltem contentus es dolorum nostrorum compendio, et simplici ac veloci brevitate poenarum. Admoves laniandis corporibus longa tormenta, multiplicas lacerandis visceribus numerosa supplicia, nec feritas, atque immanitas tua usitatis potest contenta esse tormentis; excogitat novas poenas ingeniosa crudelitas. Quae haec est insatiabilis carnificinae rabies, quae inexplebilis libido saevitiae? Lib. ad Demetrianum pag. 437. Ed. MM. Sic demum Theodoretus: *Sicut lignatoribus silvam caedentibus multo plures pullulant propagines ab radicibus, quam sint rami qui inciduntur; ita tunc quoque piis compluribus interfectis, multo plures quotidie ad doctrinam Evangelicam accedebant; cruorque ille caesorum corporum irrigatio quae-*

dam erat novis in Ecclesia emergentibus plantis. Theodoret. Serm. de legibus (1). At,

---

(1) Ineptum prorsus est quod nobis de Martyrum paucitate obiiciunt adversarii ex hoc Origenis testimonio : *Deus opportunis temporibus compescuit eos, qui in Christianos insurgerent, et eos interficere in animo haberent...... pauci per intervalla temporum, et facile numerabiles, pro Christiana Religione mortem obierunt. Sed eorum gentem prorsus extingui nunquam permisit Deus, imo consistere voluit.* Lib. III. contra Celsum n. 8. Origenes enim non de Martyrum numero *absolute*, sed *comparate* ad eorum numerum, qui Christi fidem professi sunt, loquitur; comparationem scilicet instituit inter eos, qui Christi fidem coram Tyrannis professi mortem oppetiere, et eos omnes, qui Christi fidem amplexi in ea pacifice ac nullo exagitante mortui sunt. Nimirum idem Origenes ubi, de Martyrum numero *absolute* verba facit, illum magnum fuisse testatur: *Multi e nostris, quamvis probe scirent se, si in confitendo Christianismo perstarent, morituros; contra absolutum iri, et suas facultates recuperaturos, si desisterent; tamen despecta vita, volentes mortem, pietatis causa occubuerunt.* Ibid. Lib. II. n. 17.

ne plura testimonia de Martyrum numero, et constantia afferamus, Martyrologium, quod ex Matritensi Bibliotheca Iriartes Graece edidit, ego vero latina interpretatione ornavi, legere praestat. Ibi enim Auctor, quem Eusebium fuisse reor, a Marci Antonini, et Lucii Veri persecutione incipiens, ac in Diocletiani, et Maximiani persecutionem desinens, Martyrum, ex quibus nonnisi praecipuos nominat, ingentem fuisse numerum, invictamque constantiam non semel contestatur. His nimirum utitur vocibus, ubi de Martyrum multitudine loquitur: πολλοι μεν, και αλλοι pag. 1. *multi quidem et alii;* πλειστοι, *plurimi* pag. 4. και αλλοι δε πλειστοι, *atque alii plurimi* pag. 7. πλειστοι, και διαφορωτατοι, *plurimi, ac diversissimi* pag. 8. iterum πλειστοι, *plurimi* pag. 13. πληθος σχεδον αναριθμητον, *multitudo pene innumerabilis* pag. 23. Nec his vocibus contentus, ubi de Diocletiani, ac Maximiani persecutione loquitur, Martyres praesertim in Phoenicia, Syria, Aegypto, Thebaide, Africa, ac Maurorum gente, adeo multos fuisse osten-

dit, ut, *quum ipsorum multitudinem*, en eius verba, *et varios cruciandi, necandique modos enumerare difficile ac omnino impossibile comperissem, paucorum quorumdam perillustrium mentionem faciam:* και το πληθος αυτων, και τους ποικιλους της τελειωσεως τροπους επαριθμεισθαι απορον ειδως, και καθολου αδυνατον, ολιγων τινων των επισημοτατων μνησθησομαι. pag. 24. Ac demum ne illustriores quidem nominatim recenset; sed omnes veluti coacervans, generatim secundum varia tormentorum vel mortis genera innuit pag. 29. et seqq.

Ex profanis vero audire praestat Tacitum, qui haec inter cetera de Neronis persecutione narrat: *Non ope humana, non largitionibus principis, aut Deum placamentis decedebat infamia, quin iustum incendium crederent. Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos, et quaesitissimis poenis affecit, quos, per flagitia invisos, vulgus Christianos appellabat. Auctor eius nominis Christus, qui Tiberio imperitante, per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio*

affectus erat. Repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursus erumpebat, non modo per Iudaeam originem eius mali, sed per urbem etiam; quo cuncta undique atrocia, aut pudenda confluunt, celebranturque. Primo correpti qui fatebantur, deinde iudicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quam odii humani generis convicti sunt. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi: atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, et circense ludicrum edebat, habitu aurigae permixtus plebi, vel circulo insistens. Unde quamquam adversus sontes, et novissima exempla meritos, miseratio oriebatur, tanquam non utilitate publica, sed in saevitiam unius absumerentur. Corn. Tacit. Annal. lib. XV. Tacito concinit Dion Xiphilini, qui haec de Domitiano narrat: *Eodem anno*, inquit, *Domitianus cum alios multos, tum vero*

Fabium Clementem consulem (etsi patruelis eius erat, et Flaviam Domitillam, Domitiani consanguineam, uxorem haberet) morte affecit, illato ambobus crimine impietatis. Cuius rei causa multi qui in Iudeorum (sic appellabantur Christiani) *mores transierant damnati sunt; quorum pars occisa est, pars spoliata facultatibus. Domitilla tantummodo in Pandatariam relegata est. Glabrionem quoque, qui cum Traiano magistratum gesserat, accusatum praeter cetera superioris criminis . . . . . . interfici iussit.* Utrique concordat Plinius, cuius verba retulimus pag. 116.

Quibus demum profanis testimoniis firmis quidem et gravibus illud addendum firmissimum atque gravissimum, quod ex duabus epigraphis a Grutero relatis (Thes. Inscript. pag. CCLXXX. 3. 4. in Hispania) eruimus :

3.

Diocletianus . Iovius . Et
Maximian . Herculeus
Caes . Augg
Amplificato . Per . Orien

Tem . Et . Occidentem
Imp. Rom.
Et
Nomine . Christianorum
Deleto . Qui . Remp . Ever
Tebant

4.

Diocletian . Caes
Aug . Galerio . In . Ori
Ente . Adopt . Supers
Titione . Christ.
Ubiq . Deleta . Et . Cul
Tu . Deor . Propagato

Ex his nimirum Inscriptionibus maximum fuisse Martyrum numerum, invictamque constantiam satis superque constat. Si enim Christi cultoribus, qui iam mirabili modo aucti et multiplicati fuerant, ut in prima huius Propositionis parte demonstravimus, tantam cladem attulerunt Tyranni, ut horum laudatores vel potius adulatores Christianum nomen deletum fuisse scripserint; innumerabiles fuisse eos, qui admirabili fortitudine Martyrii certamen absolverunt, tam certum est quam quod certissimum.

Atqui tot Martyrum constantia non alia ratione, nisi divina virtute, explicari potest. ut facile est animadvertere. Eorum namque numerum maximum fuisse, et ex omni hominum genere compositum iam demonstravimus. Innumeris vero ac exquisitissimis tormentis eos excruciatos fuisse, ac indignissima, acerbissimaque morte affectos nullus ignorat. Tot deinde, tantosque cruciatus, ac mortem ipsam acerbissimam non timidi, non paventes, sed fortes et animosi appetunt. Ad rem Lactantius....... *Latrones, et robusti corporis viri eiusmodi lacerationes perferre nequeunt, exclamant et gemitus edunt; vincuntur enim dolore, quia deest illis inspirata patientia. Nostri autem (ut de viris taceam) pueri, et mulierculae tortores suos taciti vincunt, et exprimere illis gemitus nec ignis potest.* Instit. Lib. V. cap. XIII. n. 12. Scilicet, ut rem exemplo confirmemus, *tanto animi robore firmata est Blandina, ut tortores, qui invicem sibi succedentes, a prima luce usque ad vesperam, omni tormentorum genere, eam ex-*

cruciaverant, resoluta nervorum compage, deficerent, seque victos confessi, cum nullum tormenti genus, quod ipsi inferri posset, reliquum haberent, mirarentur adhuc illam spiritum ducere, toto corpore lacerato atque perfosso; *testarenturque unicum tormenti genus ad illam enecandam suffecisse, ne dum tot ac tanta tormenta.* Apud Eusebium Hist. Eccl. Lib. V. cap. 1. Quinimmo sereno vultu; alacri incessu, hilari animo, ad equuleum, ad bestias, ad ignem prosiliunt, quasi non ad mortem tracti, sed ad epulas vocati fuissent. Nimirum, ut etiam in hac re satis nota, testata, ac manifesta exemplum afferamus: *inluxit dies victoriae illorum* (sic de duabus mulieribus Perpetua, et Felicitate, earumque sociis legimus), *et processerunt de carcere in amphitheatrum, quasi in Coelum, hilares, vultu decori forte gaudio paventes, non timore. Sequebatur Perpetua placido vultu, et pedum incessu ut Matrona Christi Dei dilecta: vigorem oculorum suorum deiiciens ab omnium conspectu. Item Felicitas salvam*

se peperisse gaudens , ut ad bestias pugnaret a sanguine , ab obstetrice ad retiarium, lotura post partum baptismo secundo. Apud Ruinart. Pass. SS. Felicitatis , et Perpetuae n. 18.

Itaque divina virtute confirmatos Martyres, revelatam doctrinam gravissimo testimonio, firmissimoque argumento comprobasse certe quidem concludet, quisquis ea omnia quae animadvertimus , ponderare velit ; ingentem nempe Martyrum numerum , innumeros acerbissimosque cruciatus, quibus confecti de vita decesserunt, in huiusmodi cruciatibus perferendis incredibilem animi fortitudinem , et constantiam immo summam tranquillitatem, ac hilaritatem. Huic argumento demum pro coronide comparationem illam addere placet , quam inter Romanos quosdam Heroas, nostrosque Martyres instituens , Minutius scribebat : *Vos ipsi calamitosos viros fertis ad Coelum, Mutium Scaevolam, qui quum errasset in Regem , periisset in hostibus , nisi dexteram perdidisset. Et quod ex nostris , non tam dexteram solum , sed totum corpus uri, cre-*

mari, sine ullis eiulatibus pertulerunt, quum dimitti praesertim haberent in sua potestate? Viros cum Mutio, vel Aquilio, aut cum Regulo comparo? Pueri, et Mulierculae nostrae cruces, et tormenta, feras, et omnes suppliciorum terriculas inspirata patientia doloris illudunt. Nec intelligitis, o miseri, neminem esse, qui aut sine ratione velit poenam subire, aut tormenta sine Deo possit sustinere. Minut. in Oct. pag. 339. Edit. Lugd. Batav, 1672.

Propositio VI.

Revelatae doctrinae veritatem mira talis doctrinae addiscendae facilitas, cuiuslibet hominis ingenio aptissima, ostendit.

Prob. Nam ad ea omnia perdiscenda, quae ut ad vitam aeternam beatamque adquirendam necessaria proponit talis doctrina, nec praestans ingenium, nec multiplicium seriorumque studiorum curricula requiruntur. Si enim de speculativis veritatibus sermo sit,

unus Deus agnoscendus est in tribus personis subsistens, Patre scilicet, Filio, et Spiritu Sancto, qui, quum infinita iustitia polleat, probis praemium, improbis poenam reservavit, et unus Mediator Dei et hominum Christus Iesus verus Dei Filius, qui hominem culpa foedatum, Deique inimicum, sanguine suo mundavit, ac Patri reconciliavit. *Haec est autem vita aeterna*, sic in Evangelio legimus, *ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum.* Ioan. XVII. 3. Si vero de practicis veritatibus loquamur: in sola charitate tota revelatae legis vis consistit, quam Baptismo acquirimus, Poenitentia recuperamus, ceteris Sacramentis augemus; quae quidem Sacramenta virtute sua agunt, ideoque omnibus, qui eorum virtutem propria malitia non impediunt, utilitatem maximam afferunt. Itaque omnes omnino homines vel indocti, et rerum omnium rudes ignarique quidquid ad Deum, ut primum hominis principium, et hominis ipsius veram et aeternam beatitatem pertinet, summa facilitate ex revelata doctrina di-

scere ; ideoque et ultimum finem, et vias quae ad illum obtinendum ducunt, probe cognoscere possunt. Quum igitur id, quod Philosophorum principes summo studio, ac immensis laboribus adsequi nequiverunt, ut nempe viam ad felicitatem et ipsi invenirent, et ceteros homines docerent, assequuti sint homines imperiti, illiterati, rudes: hoc nonnisi divina virtute factum quisnam sanae mentis negare audebit? Ergo revelatae doctrinae divinam veritatem mira talis doctrinae facilitas, cuiuslibet hominis ingenio aptissima, ostendit.

PROPOSITIO VII.

Revelatae doctrinae divinam veritatem ostendit rationum, quas ad finem ultimum obtinendum doctrina haec suppeditat, efficacissima virtus.

Prob. Eiusmodi enim rationes aliae interiores sunt, aliae exteriores. Interiores sci-

licet dicimus eas omnes, quae mentem illustrant ut verum a falso discernat, voluntatemque confirmant, ut honestum turpi praeferat, ac omnino spiritum afficiunt, ne a carne ad inhonesta trahatur, sed potius carnem ipsam domet, sibique ad honestatem capessendam retinendamque subiciat. Exteriores vero appellamus sacrorum, piorumque librorum lectionem, precum seu privatarum, seu publicarum recitationem, festorum dierum solemnitates, Templorum frequentiam, Sacerdotes, Religiosos ordines, pias sodalitates, sanctorum hominum exempla. Atqui tum priorum, tum secundarum efficacissima est virtus. *Gratia* (enim sic nominantur prioris generis auxilia omnia) quum sit *supernaturalis ac immediata* Dei actio maximum habet firmamentum ac robur. Quare quisquis gratia adiuvatur iure ac merito has Apostoli voces adhibere potest; *Omnia possum in eo qui me confortat*, in Deo scilicet qui omnipotenti sua virtute mihi auxiliatur. Philipp. IV. 13. item et illas: *Quis ergo nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? an*

angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Iesu Domino nostro. Rom. VIII. 35. 38. 39. *Gratia* vero per Sacramenta tribuitur, quae numero pauca, utilitate autem saluberrima sunt. Per *Baptismum* enim, ut aliqua de praecipuis, magisque necessariis, perstringamus, ab ipsa nativitate Dei amicitia fruimur; et, quum ratione nondum uti possumus, triplici tamen fidei, spei, charitatis habitu ornamur: atque ita bonorum operum veluti semina recipimus, ut uberrimos fructus tempore opportuno colligere possimus. Quod si e Dei amicitia per lethalem culpam excidamus, ad eam per *Poenitentiae* Sacramentum redire valemus. Hoc autem Sacramentum, praeter utilitatem illam, quam peccatorem Deo reconcilians affert, ad vitia cohibenda, mo-

resque reformandos multa ac praeclara exhibet remedia. Partes namque, quibus constat, *cordis* scilicet *contritio*, *oris confessio*, *et operis satisfactio*, ad honestam vitam promovendam plurimum efficacitatis habent. Atque, ut a *contritione* ordiamur, quae inter Poenitentiae partes primum locum obtinet, hominem ita esse factum, ut ab iis se abstineat, quorum deinceps sibi poenitendum fore cognoscit, nemo dubitat. Revelata autem Religio unum etiam lethale peccatum dolendum iubet plus quam cetera omnia mala, atque ita detestandum, ut nihil magis. Nec dolendum modo, ac detestandum, sed Sacerdoti, Poenitentiae ministro, manifestandum quoque imperat, etiamsi occulte commissum fuerit, ut patrati criminis peccatorem pudeat, in qua scilicet manifestatione *oris confessio* consistit; pudorem vero cupiditatis moderatorem esse patet. Nec non ab ipso Sacerdote, ut pote a spiritali Medico, ac Iudice, *satisfactionem*, quae remedium simul et punitio sit admissae noxae reparandae expiandaeque opportuna, recipiendam imponit; quae quidem *satisfa-*

ctio, vel in praesenti, vel in futura vita implenda, alium peccatori stimulum admovet, ne rursus peccet. Praeterea ad bonos mores conformandos, fovendosque maximum momentum afferri per Poenitentiae Sacramentum, et vetus, et quotidiana experientia mirifice comprobat. Ubi enim eo modo, quo Catholica Religio praescribit, Sacramentum hoc frequentatur, ibi prava et perversa exscinduntur, recta atque honesta affluunt; ubi vero vel nunquam, vel raro, vel male Sacramentum ipsum recipitur, eodem quoque gradu morum splendor vel deficit, vel offuscatur. Atque haec duo Sacramenta, Baptismus scilicet, et Poenitentia, ad barbariam ex moribus delendam, et veram integramque vitae honestatem promovendam primas partes tenent; cetera vero Sacramenta, singula pro parte sua, pietati ac sanctitati robur ac lumen adiungunt; atque prae omnibus augustissimum Eucharistiae Sacramentum, in quo et sibi Christus ipse, et invicem inter nos arctissimo, ac ineffabili amoris vinculo omnes coniungit. Itaque *gratiae* auxilia, quae per Sacramenta

nobis conferuntur, ad vitam secundum sanctissimam morum disciplinam peragendam, ac talis vitae praemium in sempiterna felicitate obtinendum, maximum firmitatis et constantiae tribuunt.

At *gratiae* auxiliis, quae interiora appellavimus, exteriora etiam praesidia addit Revelata Religio. Quorum primum Sanctarum Scripturarum, aliorumque piorum librorum lectionem recensuimus. In illis enim, ut a Sacris Scripturis ordiamur, documenta maxima, et omnis generis inveniuntur, quae a vitiis hominem revocent, et ad veraces, solidas, perfectas virtutes adducant, ipsumque, cuius demum cumque ingenii sit, vel parvi et tardi, vel magni et illustris, vel optimi splendidissimique, sibimetipsi, domesticae familiae, civili Societati utilissimum efficiunt. Quod sane verissimum propria experientia reperit quilibet sanae mentis homo, qui tales libros legendo percurrat; fateaturque oportet non exaggerata, sed prorsus sincera fuisse Elogia, quae sapientissimi Scriptores de divino hoc Opere recitarunt. Pauca ex Au-

gustino, cuius acerrimum ingenium, praeclaraque eruditio atque doctrina maximam admirationem movet, exempli causa proferamus. *Quantum minor auri, argenti, vestisque copia*, inquit, *quam de Aegypto secum Hebraeus populus abstulit, prae divitiis, quas postea Hierosolymae, maxime sub Salomone, consequutus est; tanta est cuncta scientia, etiam utilis, collecta de libris Gentium, si divinarum Scripturarum scientiae comparetur; nam quidquid Roma extra didicit, si noxium est, ibi damnatur: et quum ibi quisque invenerit omnia, quae utiliter alibi didicit, multo abundantius ibi inveniet ea, quae nusquam omnino alibi, sed in illarum tantummodo Scripturarum mirabili altitudine, et mirabili humilitate discuntur.* De Doctrina Christiana lib. 2. cap. XLII. n. 63. *Quae disputationes, quae litterae quorumlibet philosophorum*, sic alibi, *quae leges quarumlibet civitatum, duobus praeceptis, ex quibus Christus dicit totam legem, prophetasque pendere, ullo modo sint compa-*

randae? » Diliges Dominus Deum tuum ex » toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex » tota mente tua: et diliges proximum tuum » sicut teipsum » (Matth. XXII.37.). *Hic physica, quoniam omnes omnium naturarum causae in Deo creatore sunt. Hic ethica, quoniam vita bona et honesta non aliunde formatur, quam quum ea quae diligenda sunt, quemadmodum diligenda sunt, diliguntur, hoc est Deus, et proximus. Hic Logica, quoniam veritas, lumenque animae rationalis, nonnisi Deus est. Hic etiam laudabilis Reipublicae salus; neque enim conditur, et custoditur optime civitas, nisi fundamento, et vinculo fidei, firmaeque concordiae, quum bonum commune diligitur, quod summum, ac verissimum Deus est, atque in illo invicem sincerissime se diligunt homines, quum propter illum se diligunt, cui, quo animo diligant, occultare non possunt. Modus autem ipse dicendi, quo Sancta Scriptura contexitur, quam omnibus accessibilis, quamvis paucissimis penetrabilis. Ea,*

quae aperte continet, quasi amicus familiaris sine fuco ad cor loquitur indoctorum, atque doctorum. Ea vero, quae in Mysteriis occultat, nec ipsa eloquio superbo erigit, quo non audeat accedere mens tardiuscula, et inerudita, quasi pauper ad divitem; sed invitat omnes humili sermone, quos non solum manifesta pascat, sed etiam secreta exerceat veritate, hoc in promtis, quod in reconditis, habens. Sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus operta desiderantur, desiderata quodammodo renovantur, renovata suaviter intimantur. His salubriter, et prava corriguntur, et parva nutriuntur, et magna oblectantur ingenia. Ille huic doctrinae inimicus est animus, qui vel errando eam nescit esse saluberrimam, vel odit aegrotando medicinam. Epist. CXXXVII. ad Volusianum nn. 17. 18. Hanc Divinarum Scripturarum dignitatem, et utilitatem diffiteri non potuit unus etiam ex impiorum Coryphaeis; qui scribit: *Fateor Evangelii sanctitatem argumentum esse quod ad cor meum loquitur, et cui ego*

quoque aegre ferrem bonum aliquod responsum reddere. Philosophorum libros cum omni eorum pompa legitote; quam tenues sunt cum hoc comparati! Fieri-ne potest ut liber tam sublimis, et tam simplex hominum sit opus? Potest-ne fieri, ut ille, cuius texit historiam, sit purus homo? Quae morum puritas ac suavitas! Quaenam bona gratia, et insinuatio in eius documentis! Quaenam excelsitas in eius dictatis! Quae animi firmitas, quid acuminis, et concinnitatis in eius responsis! Quodnam imperium in suas affectiones! . . . . Quot misericordiae opera sunt Evangelii fructus; quot restitutiones, quot reparationes fiunt inter Catholicos Confessionis ope? Inter nos proximum Communionis tempus quot reconciliationes causat, quot eleemosynas erogare facit? (1)

(1) Je vous avoue que la sainteté de l'Évangile est un argument qui parle à mon coeur, et au quel j'aurois même regret de trouver quelque bonne

Praeclarisimas vero has utilitates cumulatius augent alii libri, quos generatim pios appellavimus, Sanctorum Patrum, ceterorumque Ecclesiasticorum omnium Scriptorum opera, Apologetica, Catechistica, Moralia, Ascetica

---

réponse. Voyez les livres des philosophes avec toute leur pompe : qu'ils sont petits près de celui-là ! Ie peut-il qu'un livre, à-la-fois si sublime et si simple, soit l'ouvrage des hommes ? Ie peut-il que celui, dont il fait l'Histoire, ne soit qu un homme lui-même ?.. . . Quelle douceur, quelle pureté dans ses moeurs ! quelle grace touchante dans ses instructions! quelle élévation dans ses maximes! quelle profonde sagesse dans ses discours, quelle présence d'esprit, quelle finesse, et quelle justesse dans ses réponses ! quel empire dans ses passions !

Que d'oeuvres de miséricorde sont l'ouvrage de l'Évangile! Que de restitutions, de réparations la confession ne fait-elle point faire chez les Catholiques ! Chez nous, combien les approches des temps de communion n'offerent-elles point de réconciliations et d'aumônes ! — Rousseau, Emile Liv. IV. pag. 303. et 316. Tom. II. Edit. Stéréotyp. 1817.

tali nomine concludentes. Hi enim Sacrarum Scripturarum sententias, vel ab impiorum calumniis vindicantes, vel solidis interpretationibus a divina traditione, et Catholicae Ecclesiae declaratione, haustis, exponentes, vel ad mores reformandos, pietatemque fovendam, ac perficiendam adhibentes, ad quorumlibet hominum aetatem, ingenium, educationem, gradum, eruditionem etc. divinarum veritatum pabula magis magisque accommodant.

Alterum praesidium in precibus, seu privatis, seu publicis, consistit, quarum ope a Deo, donorum omnium universali, ac supremo distributore, quidquid petimus accipimus, secundum illam Dei ipsius promissionem: *Petite, et dabitur vobis; quaerite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis: omnis enim, qui petit, accipit; et qui quaerit, invenit; et pulsanti aperietur.* Matth. VII. 7. 8. Cuius promissionis complementum confirmant innumera permultorum hominum, et antiqua, et recentia exempla; quae alterius quoque divinae promissionis de publicarum precum maiori efficacitate

comprobant : *Iterum dico vobis , quia si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo , qui in coelis est.* Matth. XVIII. 19.

Tertium praesidium festos dies , annua solemnia, nec non Templorum frequentiam, splendoremque complectitur , quae omnia uno verbo Religiosi cultus apparatum appellabimus. In tali nimirum apparatu nihil turpe et inhonestum, nihil saevum et inhumanum, nihil vanum et ridiculum prae se fert Christi Ecclesia ; sed omnia recta , et honesta , benigna et suavia , solida et utilia : omnia ad unius veri , summique Dei maiestatem humanis oculis maiori , qua fieri potest , dignitate praesentandam ; hominum mentibus divinas veritates firmius imprimendas ; humana corda ad Dei proximique amorem vehementius excitanda prorsus apta , et accommodata : omnia , quae cogitationibus prudentiam et intelligentiam ; affectionibus ordinem ac modum ; ipsi quoque corpori modestiam et summissionem in Religionis exercitio af-

ferunt. Festi dies, dum corpori necessariam laborum quietem praestant, animum ad Religionis officia maiori commoditate, ac nobilitate exercenda revocant. Annua solemnia praecipuarum Religionis epocharum, principaliorum Fidei Mysteriorum, rectissimorum facinorum, quae tot, ac tanti Catholicae Ecclesiae heroes effecerunt, piam inviolatamque memoriam servant, atque ad puram sanctamque laetitiam percipiendam; ad divina opera grato animo recolenda; ad praeclarissima facta imitanda accendunt. Templorum splendor ac frequentia reverentiam Deo optimo maximo debitam magis conciliat, divinorum munerum exercitationem faciliorem decentioremque facit, mutuam charitatem magis magisque fovet.

Quartum praesidium constituunt Clerici tam Seculares, quam Regulares, vel claustrales, et quotquot Religiosos Ordines componunt, viri scilicet, qui, ceteris pietate, et doctrina praecipue sacra praestantes, Dei gloriae, et utilitati hominum, Mundana commoditate et prosperitate posthabitis, sin-

gulari perpetuoque studio promovendis sese libere addicunt; ac tanto operi perficiendo divini ritus, qui Ordinis Sacramentum appellatur, religione obstringuntur. Hi nimirum Dei, hominumque interpretes, et internuncii, Dei voluntatem hominibus, hominum vota Deo exponunt, ac praeclarissima omnis generis beneficia cunctis conferunt. Enimvero doctis, indoctis; nobilibus, plebeijs; principibus, subditis; viris, faeminis; piis, impiis; sanis, aegrotis; quavis aetate, quovis tempore, auxilia et remedia constanter, convenienterque, propriae etiam vitae periculo, praebent. Puerorum, iuvenumque institutioni, atque disciplinae, tum quod ad Religionem, tum quod ad doctrinam pertinet, dant operam; in carcerem coniectis solatium, et adiumentum afferunt; aegrotorum, et peregrinorum hospitalibus domibus vel aperiendis, vel curandis deserviunt; moribundis incredibili patientia assistunt; Christi discipulis a barbarorum servitute redimendis, et pecuniam erogant, et quandoque pro eis servitutem patiuntur, in-

fantibus, pupillis, viduis, senibus alieno praesidio indigentibus, item mulieribus, vel proxima pudicitiae pericula subituris, vel praeterita pudicitiae naufragia deflere cupientibus; nec non viris patratorum scelerum moerore confectis, et eorum poenae solitudine, lacrymis, precibus, aliisque eiusmodi, luendae desiderio flagrantibus, receptacula, et auxilia offerunt. Ne ipsi quidem homines, qui montuosa, et sylvestria loca in regionibus a nostris longe diversis, et seiunctis, incolunt, et tenebris, ac caligine horribili, in Religionis praesertim negotio, circumfusi reperiuntur, horum operam, et studium effugiunt, quum illos divinae lucis splendore illustrandi causa difficillimas linguas perdiscunt, longa, et infesta itinera terra marique conficiunt, asperrima pericula adeunt, incredibiles labores subeunt, innumera mala sustinent, acerbissimam mortem saepe laeti obeunt; atque inter tot gravissimas certe quidem curas literarum studia minime negligunt, ut innumeri, et probatissimi libri ab ipsis in omni eruditionis, atque doctrinae genere

conscripti testantur; immo ea aetate, qua immanis, ac intoleranda barbaria litteras omnino delere conabatur, litterae sola eorum opera non perierunt (1). Quamobrem non de Religione tantum, sed de civili quoque Societate, et litteris optime meritos eos existimare debet quisquis desipere nolit. Praedicti autem gradus magnam excellentiam, et praestantiam, quam breviter descripsimus, minime offuscant quorundam, qui eum tenent, inscitia, et pravitas. Primum enim personas, non gradum afficiunt eiusmodi vitia. Deinde non ex Religione,

(1) Le peu de connoissances qui restoit chez les barbares fut perpétué dans les cloîtres. Les Bénédictins transcrivirent quelques livres. Peu à peu il sortit des cloîtres plusieurs inventions utiles. D' ailleurs ces réligieux cultivoient la terre, chantoient les louanges de Dieu, vivoient sobrement, etoient hospitaliers; et leurs exemples pouvoient servir à mitiger la férocité de ces temps de barbarie. -Voltaire, Essai sur les moeurs, et l' ésprit des Nations chap. 139. pag. 347. Tom. VI. Edit. 1785.

sed ex turpi vita, quam perversi contra Religionis praescripta degunt, et ex falsa Philosophia, quae magnos, et impios conatus suos in Ecclesiasticam disciplinam relaxandam maxime paravit, ac intendit, enascuntur. Demum vitia, de quibus sermo est, tanta non sunt, quanta a Religionis hostibus exaggerantur; et, quanta quanta sint, vitiis, quae laicos homines deturpant, longe minora profecto sunt, ut testatur etiam unus ex impiorum Antesignanis. *Fatendum est*, ait, *in Claustris praeclarissimas virtutes exerceri: existunt adhuc plura Monasteria, in quibus inclusae continentur animae admirabiles, quae honori sunt humanae naturae . . . . . Certum est saecularem vitam semper magis vitiosam fuisse, et maxima crimina numquam in Monasteriis fuisse commissa* (1).

(1) On ne peut nier qu' il y ait eu dans le cloître de tres grandes vertus: il n'est guère encore de monastères, qui ne renferme des ames admirables, qui font honneur à la nature humaine.

Quintum praesidium in piis Sodalitatibus repositum est, quae mutuam animorum coniunctionem, et benevolentiam, arctissimo charitatis vinculo magis et magis fovent; ad divinum verbum audiendum, ad preces recitandas, ad Sacramenta frequentanda, ad omnia uno verbo Religionis Opera utilius perficienda excitant, atque accendunt; temporales quoque calamitates sublevant, et ipsis vita defunctorum cadaveribus honestae sepulturae locum dant, eorumque animas piacularibus flammis addictas omni suffragiorum genere adiuvare non cessant.

Sextum denique, et postremum praesidiorum principaliorum, quae exteriora nominavimus, in piorum hominum exemplis reperitur. Maxima enim facilitate aliorum exempla homines sequi nullus est qui, aut ignoret, aut diffiteatur; claris autem, et illustribus virtutum

---

.... Il est certain que la vie sécoulière a toujours été plus vicieuse, et que les plus grands crimes n'ont pas été commis dans les monástères. - Idem· ibid. pag. 344.

exempl is Catholicam Religionem semper abundare, et praeteritorum temporum Historia, et quotidiana experientia nos docet. Atque in hoc argumento haud est silentio praetereundum praeclarissimum Augustini, e vitiosa et flagitiosa vita ad piam sanctamque vitam nondum conversi, sed propendentis, exemplum, ac testimonium. *Retinebant*, inquit, *nugae nugarum, et vanitates vanitatum antiquae amicae meae; et succutiebant vestem meam carneam, et submurmurabant: Dimittis ne nos? et a momento isto non erimus tecum ultra in aeternum, et a momento isto non tibi licebit hoc et illud ultra in aeternum? . . . . Sed iam tepidissime hoc dicebant. Aperiebatur enim ab ea parte, qua intenderam faciem, et quo transire trepidabam, casta dignitas continentiae, serena, et non dissolute hilaris, honeste blandiens, ut venirem neque dubitarem, et extendens ad me suscipiendum et amplectendum pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri et puellae: ibi iuventus multa, et*

omnis aetas, et graves viduae, et virgines anus: et in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis; sed foecunda mater filiorum gaudiorum de marito te, Domine. Et irridebat me irrisione hortatoria, quasi diceret: Tu non poteris quod isti, quod istae? an vero isti, et istae in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo? Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in te stas, et non stas? Proiice te in eum; noli metuere; non se subtrahet, ut cadas: proiice te securus, excipiet, et sanabit te. Confess. Lib. VIII. cap. XI.

Propositio VIII.

Revelatae doctrinae divinam veritatem ostendit interna pax, qua doctrinae huius cultores potiuntur.

Prob. Revelata enim Doctrina cuilibet homini, plana, et evidenti ratione, obiectum felicitatis ab ipso vehementer concupitae ostendit, viamque ad illam obtinendam aperte demonstrat. Nimirum docet nos, a Deo ad imaginem, et similitudinem suam factos, perfectae et interminatae felicitatis desiderio flagrantes, hanc Deum ipsum summe et infinite bonum possidendo, in altera, quae nobis reposita est, vita, si modo velimus, ipsius gratia certissime obtenturos. Docet praeterea talis felicitatis, originali peccato perditae, nobis recuperandae causa, Dei Filium incarnatum, passum, cruci affixum, resurrexisse, et cum admirabili gloria in coelum ascendisse, ut sua morte nos ab aeterna damnatione liberaret, gloriosa resurrectione, et

ascensione sua ad felicem aeternitatem revocaret, et divinis, tum factis, tum dictis, vitae nobis agendae exemplum et regulam proponeret, quam si in brevissimo vitae huius curriculo sequamur, aeternae vitae beatissimo praemio donemur. Quae quidem Revelatae Religionis principia in Christi discipulis placidissimam illam pacem gignunt, et ad vitae usque terminum conservant, quam suam (1) appellat Christus, infallibilem pacem, quae intelligentiam et cor custodit(2), et quae Deo ipsi pacis auctori coniungit (3). Hinc nascitur, quod Mundi divitias, atque delicias, ut vanas, despiciunt Christi discipuli; Mundi calamitates patienter, immo libenter sustinent; mortem ipsam cum

---

(1) *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; non quomodo Mundus dat ego do vobis.* Ioan. XIV. 27.

(2) *Et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras in Christo Iesu.* Philipp. IV. 7.

(3) *Et Deus pacis erit vobiscum.* Ibid. 9.

gaudio oppetunt: atque, ubi Dei gloria, et proximorum utilitas, procuranda sit, nullum periculum, nullum incommodum, nullam iacturam formidant: ac demum quibusvis miseriis, et aerumnis pressi; doloribus, et cruciatibus, quanti maximi esse possunt, vexati; ad indignissimam, et acerbissimam mortem ducti, omnia prorsus eiusmodi mala prompto et alacri animo, hilari ac laeto vultu arripiunt, et perferunt. E contrario impii Mundi divitiis, honoribus, deliciis inhiantes, et indomitis, atque effrenatis animi cupiditatibus indulgentes; at nihilominus numquam satiati, et expleti, pacis dulcissimum, et pulcherrimum nomen ne norunt quidem (1); semper agitati et fluctuantes miseram atque in-

---

(1) *Non est pax impiis dicit Dominus* Isai. XLVIII. 22. *Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus eius in conculcationem, et lutum. Non est pax impiis, dicit Dominus Deus.* Ibid. LVII. 20. 21.

felicem vitam degunt (1), et proximae mortis periculo concussi, vel desperationi sese committunt, (2) ut plerumque accidit, vel tandem aliquando resipiscentes divinae Religionis veritatem profitentur, et praedicant (3). Quae omnia profecto, quum constanti, ac pene quotidiana, tum antiqua, tum recenti experientia comprobentur, adeo certa et explorata sunt, ut nemo in dubium revocare queat.

---

(1) *Vae impio in malum; retributio enim manuum eius fiet ei.* Isai. III. 11.

(2) *Ecce turbo Dominicae indignationis egredietur, et tempestas erumpens super caput impiorum veniet. Non revertetur furor Domini, usque dum compleat cogitationem cordis sui: in novissimis diebus intelligent consilium eius.* Ierem. XXIII. 19. 20.

(3) *Et quum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, et fecerit iudicium, et iustitiam; ipse animam suam vivificabit.* Ezech XVIII. 27.

CONCLUSIO.

Omnia, quae huc usque breviter proposuimus, argumenta, non modo Revelatae Doctrinae indolem, necessitatem, veritatem ostendunt; verum etiam talem doctrinam in sola Ecclesia Catholico-Romana retineri demonstrant. In nulla enim alia Societatum, quae Christi nomen praeseferre contendunt, ea omnia divina signa concurrunt, quae in sola Catholico-Romana Ecclesia omnium oculos mirifica evidentia perstringunt. Itaque totam hanc materiam Epilogo quodam praecipuorum eiusmodi signorum concludere operae pretium erit, quod Augustini verbis conficiemus. *Quem non moveat ad credendum,* inquit, *tantus ab initio ipse rerum gestarum ordo, et ipsa connexio temporum, praeteritis fidem de praesentibus faciens, priora posterioribus, et recentioribus antiqua confirmans? Eligitur unus ex gente Chaldaeorum, pietate fidelissima praeditus, cui promissa divina post tantam sae-*

culorum seriem novissimis temporibus complenda prodantur, atque in eius semine omnes gentes habiturae benedictionem praenuntiantur. Hic unum Deum verum colens universitatis creatorem, gignit filium senex de coniuge, quam spe pariendi penitus destitutam sterilitas, aetasque iam fecerat. Propagatur ex illo numerosissimus populus multiplicatus in Aegypto, quo illam stirpem ex orientalibus partibus, promissis effectisque crebrescens dispositio divina transmiserat. Educitur ex Aegypti servitute gens valida, horrendis signis atque miraculis, pulsisque impiis gentibus, in terram promissionis perducta, et constituta regno etiam sublimatur. Deinde, praevalescente peccato, sacrilegis ausibus Deum verum, qui eis tanta beneficia contulerat, saepissime offendens, vanisque flagellata cladibus, et prosperitatibus consolata, usque ad Christi incarnationem declarationemque perducitur. Quem Christum, Dei Verbum, Dei Filium, Deum in carne venturum, moriturum, resurrecturum, in

coelum adscensurum, praepollentissimo suo nomine in omnibus gentibus dicatos sibi populos habiturum; inque illo remissionem peccatorum, salutemque aeternam futuram esse credentibus, omnia gentis illius promissa, omnes prophetiae, sacerdotia, sacrificia, templum, et cuncta omnino sacramenta sonuerunt. Venit et Christus, complentur in eius ortu, vita, dictis, factis, passionibus, morte, resurrectione, adscensione, omnia praeconia Prophetarum. Mittit Spiritum Sanctum, implet fideles una in domo congregatos, et hoc ipsum promissum orando, atque desiderando expectantes. Impleti autem Spiritu Sancto, loquuntur repente linguis omnium gentium, arguunt fidenter errores, praedicant saluberrimam veritatem, exhortantur ad poenitentiam praeteritae culpabilis vitae, indulgentiam de divina gratia pollicentur. Praedicationem pietatis, veraeque religionis, signa congruentia et miracula consequuntur. Excitatur adversus eos saeva infidelitas, tolerant praedicta, sperant

promissa, docent praecepta. Numero exigui per mundum disseminantur, populos facilitate mirabili convertunt, inter inimicos augentur, persecutionibus crescunt, per afflictionum angustias usque in terrarum extrema dilatantur. Ex imperitissimis, et abiectissimis, et paucissimis, illuminantur, nobilitantur, multiplicantur, praeclarissima ingenia, cultissima eloquia: mirabilesque peritias auctorum facundorum, atque doctorum subiugant Christo, et ad praedicandam viam pietatis salutisque convertunt. Alternis adversitatibus et prosperitatibus rerum, patientiam et temperantiam vigilanter exercent: mundo declinante in extrema, fessisque rebus aetatem ultimam protestante, multo fidentius, quia et hoc praedictum est, aeternam civitatis caelestis felicitatem expectant. Atque inter haec omnia contra Ecclesiam Christi impiarum gentium infidelitas fremit: evincit illa patiendo, et inconcussam fidem inter obsistentium saevitiam profitendo. Revelatae veritatis, quae diu promissis mysticis ve-

labatur, sacrificio succedente, illa sacrificia, quibus hoc figurabatur, templi ipsius eversione tolluntur. Reproba per infidelitatem gens ipsa Iudaeorum a sedibus exstirpata, per mundum usquequaque dispergitur, ut ubique portet codices sanctos, ac sic prophetiae testimonium, qua Christus et Ecclesia praenuntiata est, ne ad tempus a nobis fictum existimaretur, ab ipsis adversariis proferatur: ubi etiam ipsos praedictum est non fuisse credituros. Templa, simulacra daemonum, ritusque sacrilegi paulatim, atque alternatim secundum praedicta prophetica subvertuntur. Haereses adversus nomen Christi, sub velamento tamen nominis Christi, ad exercendam doctrinam sanctae Religionis, sicut praenuntiatae sunt, pullulant. Haec omnia sicut leguntur praedicta, ita cernuntur impleta, atque ex his iam tot et tantis, quae restant, expectantur implenda. Quae tandem mens avida aeternitatis, vitaeque praesentis brevitate permota, contra huius

divinae auctoritatis lumen culmenque contendat? Epist. CXXXVII. ad Volusianum nn. 15. 16.

CAPUT IV.

De Theologiae Revelatae, praesertim Dogmaticae, addiscendae utiliori methodo.

§. I. In postrema huius Tractatus parte praecipuas Theologiae Revelatae, praesertim Dogmaticae, utilius addiscendae regulas solita brevitate trademus. Atque eiusmodi regularum primam docet Ecclesiasticus, iustitiae scilicet, seu pietatis amorem: *Fili concupiscens sapientiam, conserva iustitiam, et Deus praebebit illam tibi.* I. 32. Non est igitur satis acre, et fervidum ingenium, ubi desit pietas. *Si sit aliquis*, ad rem Origenes, *naturae florentis et ardentis ingenii, non continuo aptus videbitur ad suscipienda Verbi Dei Mysteria; sed quaeritur etiam hoc, ut prius a profanis actibus, et immundis operibus separetur, et ita demum*

eruditionis capax fiat , si prius capax fuerit sanctitatis. In Lev. Hom. VI.

§.II. Alteram regulam praebet Sapientiae libri auctor, constantem scilicet et humilem precem et obsecrationem. *Si enim sapientiam invocaveris* , inquit, *et inclinaveris cor tuum prudentiae: si quaesieris eam , quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam; tunc intelliges timorem Domini , et scientiam Dei invenies.* II. 3. et seq. Igitur saepe Deum obsecret Theologiae studiosus his verbis : *Deus Patrum meorum et Domine misericordiae . . . . Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam , et noli me reprobare a pueris tuis : quoniam servus tuus sum ego , ... homo infirmus , et exigui temporis , et minor ad intellectum iudicii, et legum. Nam etsi quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua , in nihilum computabitur . . . . Mitte illam de coelis sanctis tuis , et a sede magnitudinis tuae , ut mecum sit , et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te . . . . Quis*

enim hominum poterit scire consilium Dei? . . . Et difficile aestimamus quae in terra sunt . . . . Quae autem in coelis sunt, quis investigabit? Sensum autem tuum quis sciet, nisi Tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis? Sap. IX. 1. et seqq.

§. III. Tertiam regulam, nempe rerum divinarum sedulum studium, et assiduam meditationem, inculcant haec item divina Oracula. *Facile videtur* (Sapientia) *ab his, qui diligunt eam, et invenitur ab his, qui quaerunt illam.* Sap. VI. 13. *Beatus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei.* Prov. VIII. 34. *Sapientiam omnium antiquorum exquiret Sapiens, et in Prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conservabit, et in versutias parabolarum simul introibit. Occulta proverbiorum exquiret, et in absconditis parabolarum conversabitur.* Eccli. XXXIX. 1. et seqq. Cuius regulae usus, exercitatioque ita erit, meo iudicio, ordinanda; ut Theologiae

studiosus in primis Theologicas Instituti ones saepe multis modis verset, simulque librum, qui Sanctarum Scripturarum sententias perspicua, et dilucida expositione interpretetur, in manibus habeat, illum praesertim Tirini, qui brevitate et Theologica soliditate omnium opportunissimus mihi videtur; (1); deinde, priori scilicet huiusmodi curriculo iam confecto Estii in quatuor sententiarum libros Commen-

---

(1) Tirini laudes celebrat Dupinius, vir alioqui in vituperando acerbissimus: Iaques Tirin, inquit, » Iesuite d'Anvers . . a fait un Commentaire sur » toute la Bible, dans lequel il a recüeilli en abregé » ce qu'il a trouvé de meilleur dans les autres Com» mentateurs. Il ne s' arrête point à exspliquer cha» que mot, et à marquer les differentes Leçons, » mais à rendre fidelement et clairement le sens du » Texte suivant l' interpetration la plus commune » des Peres et des Commentateurs. Du Pin, Nou» velle Biblioth. des Auteurs Ecclesiast. T. XVII. » pag. 132. Amsterdam 1171.

taria perlegenda aggrediatur, ut Scripturarum Patrumque testimoniis, in Theologicarum veritatum comprobatione, secundum Catholicae Ecclesiae sensum, evolvendis assuescat (1) ac Angelici Doctoris Theologicam summam facilius percurrat; demum S. Augustini Theologorum facile Principis, et eruditione sapientiaque Theologica abundantissimi, operibus pervolutandis det operam.

---

(1) Estii Commentario magnam quoque laudem tribuit citatus Dupinius his verbis: » Son Commentaire sur le Maître des Sentences est une des meilleures Théologies, que nous aïons, il suit exactemente son Auteur, sans s' écarter sur des questions étrangéres, et imite parfaitement sa méthode en établissant sa doctrine par des passages de l' Écriture et des Peres, et par des raisonnemens solides. Ce Commentaire est écrite avec beaucoup de netteté, facile à entendre et tres-instructif. Il seroit à souhaiter que nos jeunes Thèologiens s' y attachassent plus qu' ils ne font, et qu' ils y puisassent les premiers Elémens de la Thèologie. Du Pin. Nouv. Biblioth. etc. T. XVII. pag. 49. »

INDEX

RERUM, QUAE IN HOC I. VOLUMINE CONTINENTUR.

CAPUT III.

Prop. I.

Prop. II.

APPENDIX.